

DE

DEMOSTHENIS ORATIONE CTESIPHONTEA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT ET

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

GOTTINGENSIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

EDIDIT

GEORGIUS HUBO

GOTTINGENSIS.

GOTTINGAE

AKADEMISCHE BUCHHANDLUNG VON G. CALVÖR.

MDCCCLXXXVI.

Unus vel alter eorum, qui artem criticam antiquis temporibus faciebant, non multum remotus videtur fuisse ab ea sententia, ut neque omnia laudaret, quae in Demosthenis oratione Ctesiphontea scripta legebat, neque ei extremam manum accessisse iudicaret [1]. Plurimi autem et antiquorum [2] hominum et posterorum eandem orationem palma dignam esse existimaverunt. Sed ex numero eorum, qui post illam literarum paene solitudinem, qua Demosthenis studium per duo fere saecula iacuit, operam orationibus Demosthenicis dederunt, primus, nisi fallor, Taylorus [3] aperte dixit complures eius orationis locos minus sibi probari eamque formam, quae est in codicibus Demosthenicis, referendam esse ad duas *ἐκδόσεις* [4], *ἀρχαίαν* et *δημώδη*, quarum is *σχολιαστής*, cui nomen indere solemus Ulpiano, mentionem fecerat [5]. Sed quotus quisque fuit,

1) Exstant vestigia. Johann. Sic., rh. Gr. VI, p. 175 et 176 W. Cf. Frankei proleg. in Dem. or. de f. leg., Misenae 1846, p. 13. Compluribus causis fit, ut Spengelius (Rh. Mus., N. F., XVI, 558, Anm.) mihi videatur non recte contra Frankeum disputasse. — Photius, bibl., p. 491 Bek. Cf. ea, quae Reiskeus scripsit, in Schaef. app. Dem., II, 12. Quamquam scio, quid de eodem loco Spengelius (Rh. M., N. F., XVI, 552), Voemelius (*Δημ. κ. Αἰσχ.*, p. 379), Blassius (III, 1, 287, Anm. 2, et 295, Anm. 7), A. Schaefer (III, 2, 59), A. G. Becker (Lit. des Dem., p. 211), atque ab altera parte Taylorus (Schaef., app. D., II, 31), Boeckhius (Abh. d. Berl. Ak., 1818—1819, phil. Kl., p. 73), Wolper (comment. tres, p. 25) senserint. 2) Cic., or., 8, 26 et 38, 133, de opt. gen. or., c. 5. Dion. Halic., *π. συνϑ. ὀν.*, 25, p. 204, 10—12 R., ad Amm., 1, 12, p. 746, 12 R., iud. de Thuc. fact., 54, p. 948, 15 et 16 R., *π. τ. λεκτ. Δημ. δειν.*, 14, p. 996, 5 R. Theo, rh. Gr. II, p. 61 Sp. De Syriano cf. Schaef., app. D., II, 13. De Plinio cf. Fabric., bibl. Gr., ed. IV., vol. II, p. 825. De Aristide cf. Tayl., *Δημοσϑ. Αἰσχ. Δειν. καὶ Δημάδ. τὰ σωζ.*, Cantabrig. 1747, II, p. 594. 3) *Δημ.* cet., II, p. 665 e. q. s. = Schaef., app. D., II, 31 e. q. s. Cf. Schaef., II, 58. 4) De duabus eiusdem orationis editionibus videtur etiam Winiewskius (comm. hist. et chron., p. 358 et 359) aliquando cogitasse. 5) *ἀρχ.*: cf. *σχόλιον* adscriptum ad Dem., p. 562, 16 R. *δημ.*:

[illegible]

[illegible]
quae [illegible]
quid [illegible]
A. Se[illegible]
altera [illegible]
Ak. [illegible]
rint. [illegible]
Thuc. [illegible]
Theo. [illegible]
Plinio [illegible]
3) [illegible] ia
Seba[illegible] et
etiam [illegible] II,
gitu[illegible] es.

quem Taylori verba commoverent? [1]) Multo plus auctoritatis consecutus est Broughamius [2]). Et laudaverunt hanc Demosthenis orationem, tamquam nihil non esset in ea admirandum, Dissenius [3]), Winiewskius [4]), A. Schaefer [5]). Tum vero Kirchhoffius sententiam ab hominum philologorum multitudine diversam proposuit [6]), cuius summa haec est [7]). Illam orationem, qualis hodie quoque exstat in codicibus, unam esse negat [8]). Ait eam conflatam esse ex duabus [9]). Priorem, cuius exemplum commentario suo addidit [10]), constare ex §§ 3, 4, 8, extr. 53, 54, 56—72, 79—90, 92—94, 102—114, 117—121 [11]), vel, si paucis numeris eandem rem in

ad Dem., 558, 16 R. Respice, sis, ea, quae exposuit Rehdantzius, Jahrb. f. cl. Ph., 1858, 77, p. 461. 1) Fabric., bibl. Gr., ed. IV., vol. II, p. 834. 2) The Edinb. Review, 1821, Oct., vol. XXXVI, p. 93: the grand oration of all, that for Ctesiphon. Cf. the Ed. Rev., 1822, Febr., XXXVI, 503, et Blass., III, 1, 379. 3) Dem. or. de cor., p. 137 et 454. 4) Comm. hist. et chron., p. 3. 5) III, 1, 261 e. q. s. Similis est sententia Rankei (Encycl. von Ersch u. Gruber, s. v. Demosthenes, I, 24, p. 105, Leipz. 1833) et Gilberti (die Rede des Dem. περὶ παραπρεσβείας, Berlin 1873, p. 1). Etiam Spengelius (Dem. Vertheid. d. Kt., in Abh. d. Bayer. Ak., phil. Cl., Band X, 1866) dixit illam orationem esse „die Krone“ omnium or. Dem. (p. 29) et „vollendet“ (p. 30) et legentes esse „der Bewunderung voll“ (p. 30, cf. etiam p. 94). Ceterum, quoniam Speng. p. 30, Anm. putavit Reiskeum inimicissimo in Demosthenem animo fuisse (idem hodie quoque alii dicere solent), liceat mihi hic pauca afferre ex Reiskei literis excerpta (cf. Harlesium, Dem. or. de cor., Altenburg 1769, p. 612): „Pudet, quod necesse est, fateri, me nescire, vbi mens fuerit viris doctis, qui cum in poetastris quibusdam suppositiciis, in eroticis aliisque nugis expromendis et concinnandis consenescerent, tum tenebris situque computrescere paterentur auctorem primarium“, — sermo est de Demosthene — „quem noctu diuque conteri assiduis manibus et in oculis geri par erat“. Id vero, quod Reiskeus Demostheni opprobrio dedit, ad aliquam partem earum orationum videtur pertinere, quae vocari solent „Privatreden“, quarum numerum satis magnum non esse conscriptum a Dem. multi nunc consentiunt. 6) Liceat mihi hic afferre etiam post illum commentarium a K. editum Demosthenis Ctesiphonteam summa laude elatam esse a Blassio (III, 1, 380 et 382) et a Foxio, Kranzr. 1880 (qui, quid sentiret, in ipsa libri sui inscriptione proposuit). Antea autem Sauppeus (Verhandl. der 7. Versamml. deutsch. Philol. 1844, p. 127 et 128) professus erat non omnia sibi videri laudanda esse in illa oratione. 7) Abh. d. Berl. Ak., ph.-h. Kl., 1875, p. 59—99. 8) P. 60, 82, 87. 9) Cf. e. c. Kirchh., p. 86 („beide“), et Foxium, Kranzr., p. 250 („zwei verschiedene Reden“). 10) P. 89—99. 11) Hos adscripsi numeros secutus exemplum orationis

universum complecti licet [1]), ex §§ 3, 4, 8, extr. 53—121 nonnullis locis exceptis. Posteriorem constare ex §§ 1, 2, 5—7, 10—52, 122—324 [2]). Has duas orationes in unius orationis formam non ab ipso Demosthene esse redactas, sed ab alio, cuius nomen esse ignotum, homine pusillae indolis [3]), cuius in manus post mortem Demosthenis [4]) cecidisse putat Kirchhoffius utramque orationem, repertam inter res hereditate relictas [5]). Contra Kirchhoffium pugnaverunt Weilius [6]), Blassius [7]), Foxius [8]), Soergelius [9]). De Kirchhoffii sententia dixerunt praeterea Hugius [10]), Lipsius [11]), Nadrowskius [12]), Rosenbergius [13]). Homo autem nemo, quod ego quidem sciam, totus stat ab eius partibus. Id vero potissimum, opinor, laudandum est in Kirchhoffii commentario, quod eos, qui illi orationi operam dant, secum reputare cogit, quanam ratione ea orationis forma, quae nunc est in codicibus, orta videatur esse [14]). Quamquam, quae exposuit, partim non videntur eo pertinere, ut id demonstretur, quod homo ille doctissimus voluit,

---

a Kirchhoffio p. 89 e. q. s. editum. 1) P. 83. 2) P. 85. 3) P. 86, cf. 78. Eundem hominem de suo quaedam addidisse, veluti § 9, Kirchhoffius arbitratur (cf. p. 86). 4) Similis haec ratio est eius, quam A. Schaefer (III, 2, 59) de oratione Midiana exposuit. 5) P. 85 e. q. s. 6) Annuaire de l'ass. pour l'enc. des ét. Gr. 1876, p. 170—184. Cf. plaid polit., p. 474. 7) III, 1, 375 e. q. s. Bursian's Jahresb., V, 1877, 1, p. 281. Addo, ne eum quidem, qui B litera usus est pro nomine (Lit. Centralbl. 1881, p. 737 et 738), videri sententiae Kirchhoffianae favere. 8) Kranzr., X, XI, 110, 126, 213, 214, 229, 232—234, 244, 245, 249, 250, 268, 278, 279, 290, 291, 292, 294, 296, 303, 305, 312, 314, 315, 318, 323, 332, 342. 9) Blaett. f. d. Bayer. Gymn., 1881, p. 409. Addo Baerwinkelium (de lite Ctes., p. 33 e. q. s., maxime vero p. 65 e. q. s.) de eis rebus, quas exponit, non consentire cum Kirchhoffio et H. J. Nassauum Noordewierium (cum ederet Demosthenica, in usum scholarum, Leidae, apud E. J. Brill, 1884, p. 36, in imo margine) se applicare totum ad Foxii commentarium. 10) Jen. Lit., 1876, p. 619 e. q. s. (Cf. Entscheid. zwisch. Aesch. u. Dem., p. 27 et 45.) 11) Dem. de cor. or., p. 119. 12) De genuina Dem. pro cor. or. forma, p. 1 e. q. s. 13) In Westermanni editione retractata, 6. Aufl., Berlin 1885, p. 6 (cf. etiam p. 187). 14) Cf. Jen. Lit., 1876, p. 620. „De forma et conditione or. de cor. a Dem. apud iudices recitatae" disseruit Petersenius, Glueckst., 1844. Sed huius disputationis summa pars videtur mihi posita esse in eo, ut verba quaedam Demosthenis et Aeschinis inter se compararentur. De eadem re cf. A. Schaeferum, III, 2, 72—75, et Caemmererum, de dupl. recens. or. Aeschineae contra Ctes.

partim videntur aliquid veri continere. Potest enim hac quoque in re fieri, ut media inter pugnantium partes veritas sit posita. Proinde liceat mihi, quid de ratione illius orationis iudicandum esse putem, ita exponere, ut Kirchhoffii sententiam quam maxime respiciam.

Origo partitionis a Kirchhoffio factae videtur repetenda esse a § 110 [1]). Concedo equidem Kirchhoffium id recte vidisse, quam non esset viro gravi dignum, si primo videretur polliceri rem quandam se non esse commemoraturum, sed ad extremum de eadem re copiose dissereret [2]). At potest dubitari, num illa vituperatio, quamvis vera videatur esse, ad orationem in duas partes dissolvendam valeat. Priusquam enim vi agamus atque partitione, haud dedecet facere periculum, si quid ipsius Demosthenis vel oblivioni vel alii generi negligentiae tribuendum sit [3]) — nam etiam bonus, ut aiunt, Homerus dormitat quandocumque —, aut, si id minus nobis potuerimus persuadere [4]), videndum est, num quid librarii socordia deliquerint delictique eorum removendi ratio quaedam queat inveniri.

Potuit igitur fieri, ut ille error, qui videtur inesse in § 110, ab ipso Demosthene proficisceretur. Nam locis pluribus, quam plerique dicere solent, Demosthenes contra se ipse repugnavit [5]) aut eis verbis usus est, quae non debent tamquam aurificis statera examinari, sed populari quadam trutina, aliaque id genus in orationes admisit, quae ut genus dicendi omnibus numeris absolutum esset, non debebat dicere [6]). Eius modi collegi 37 exempla [7]). Pauca ex eo numero hic attulisse satis videtur esse.

---

habitae, 1876, p. 4 e. q. s. 1) Kirchh., p. 68 et 69. Cf. Weilium (ann., p. 176), Blassium (III, 1, 375 et 376), Foxium (p. 109 et 305). 2) Cf. ea, quae dixit Hugius, Jen. Lit., 1876, p. 620. 3) Quintil., XII, 1, 22. Cic., or., 29; 104. Blassius, III, 1, 68, Anm. 4. Cf. etiam H. Wolfium (Schaef., app. D., I, 55) et Harlesium (Dem. or. de cor., Altenb. 1769, praef., p. III). 4) Quintil., X, 1, 26. 5) Talia hic non curo exempla, qualiacumque ad id genus orationis, quod dici solet *ὀξύμωρον*, possunt quodammodo revocari. Alias quoque res, quae videantur levioris momenti esse, consulto nunc omitto. 6) Ea fuit Demosthenis magnitudo animi adeoque sublime effertur eius nomen vera gloria, ut et illo dignius et nobis honestius sit profiteri ingenue, quae in eius oratione minus videantur laudanda, quam ea conari celare, de quibus homines simplicitatis amantes neque admiratione occaecati celari nequeunt 7) In

1) 18 § 138. Demosthenes, postquam complura exempla earum rerum, quas Aeschines contra communem civium salutem susceperat, eo consilio §§ 132—137 attulit, ut essent documenta sententiae in § 131 propositae [1]), § 138 dicit cetera se praetermittere, quae posset exempla eiusdem generis afferre [2]). Sed paulo post Aeschinem bellum Amphissense ideo movisse dicit, ut Philippo Graeciae subigendae potestatem faceret, §§ 143 e. q. s., maxime vero §§ 156 et 158.

2) 4 [3]) § 13 ὡς μὲν οὖν δεῖ τὰ προσήκοντα ποιεῖν ἐθέ-

---

numerum exemplorum non recepi 23 § 18 ὑπεσχημένον. Quamquam eis §§, quae praecedunt, pollicitus non est Demosthenes tali se causae orandae dispositione usurum esse. Sed illa rerum repugnantia videtur ad librarios revocanda esse. Nam si Demosthenes ipse scripsit ὑπισχνούμενον, nihil est, quod graviter reprehendatur. Fortasse, id quod ad similem repugnantiam pertinet, etiam 14 § 29 scribendum est τριακοσίαις τριήρεσιν, ὧν ἑκατὸν π' παρεσχόμεθ' ἡμεῖς, cf. Dem. 18 § 238 et Herod. 8, 44. (Cf. etiam Westerm. et Rosenb., Kranzr.[6], p. 144.)

1) ἃ δ' ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν φανερῶς ἀπεδείχθη πράττων, ταῦτ' ἀναμνήσω. 2) μυρία τοίνυν . . . παραλείπω. 3) Ea, quae allaturus sum ex hac oratione, non ignoro partim pertinere ad priorem orationem a Dionys. Halic. constitutam (§§ 1—29), partim ad posteriorem (§§ 30—51). Sed Dionysii sententiam a vera rerum ratione recedere putaverim. Qua de re multi usque ad nostram aetatem in utramque partem disputaverunt. Cf., ut unum nominem, Blassium (III, 1, 261 e. q. s., Dem. neun Philipp. Reden[7], Leipz. 1884, p. 16, Anm. 5, et p. 31, Anm. 1, Dem. orationes, vol. I[4], Lips. 1885, p. 23). Quamquam hic locus uberiorem disputationem non admittit, aliquo tamen modo videtur indicandum esse, cur illam orationem ex duabus conflatam esse negem. Atque ei, qui sententiam Dionysii sequuntur, non possunt plura afferre quam haec quattuor: (n°. 1.) aut prioris orationis clausula et posterioris initium tam apte interierunt, ut reliquae partes in unum quasi corpus facile possent coalescere, (n°. 2.) aut interiit prioris clausula, integrum est posterioris initium, (n°. 3.) aut integra ad nos permanavit prioris clausula, interiit posterioris initium, (n°. 4.) aut prioris clausula non interiit neque interiit posterioris initium. Ea autem videntur refelli posse in hunc modum. Qui id amplectitur, quod primo loco posui (n°. 1.), nimium tribuit forti fortunae et, si eadem ratione uti nobis liceret, unamquamque orationem perfacile ex duabus conflatam esse diceremus. Id, quod secundo loco positum est (n°. 2.), videtur ob animum Dionysii obversatum esse. Nam σχολιαστής quidam ad Dem. 4 § 30 adscripsit haec: Ἐντεῦθέν φησι Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ἑτέρου λόγου εἶναι ἀρχήν, προοίμιον δέ, φησίν, οὐκ ἔχει, ἐπειδὴ δευτερολογία ἐστίν. Sed etiam or. duodevicesima

λοντας ὑπάρχειν ἅπαντας ἑτοίμως, ὡς ἐγνωκότων ὑμῶν καὶ πεπεισμένων, παύομαι λέγων. Attamen in eadem oratione ad eandem rem reversus, a qua commemoranda desistere se dicit, Demosthenes multis locis exponit omnes Athenienses debere reipublicae adesse contra hostem bellum facientem multisque verbis docet, cur Atheniensium unusquisque id debeat facere. Longum est omnes eiusmodi locos enumerare. Nonnulla igitur excerpo ex eis §§, quae inde a § 39 positae sunt. § 39 αὐτοὺς ἔμπροσθεν εἶναι τῶν πραγμάτων. § 41 ταῦτα δ' ἴσως πρότερον μὲν ἐνῆν· νῦν δ' ἐπ' αὐτὴν ἥκει τὴν ἀκμήν, ὥστ' οὐκέτ' ἐγχωρεῖ. §§ 43 et 44 εἶτα τοῦτ' ἀναμενοῦμεν καί, τριήρεις κενὰς καὶ τὰς παρὰ τοῦ δεῖνος ἐλπίδας ἐὰν ἀποστείλητε, πάντ' ἔχειν οἴεσθε καλῶς; οὐκ ἐμβησόμεθα; οὐκ ἔξιμεν αὐτοὶ μέρει γέ τινι στρατιωτῶν οἰκείων νῦν, εἰ καὶ μὴ πρότερον [1]; et ἂν μέντοι καθώμεθ' οἴκοι λοιδορουμένων ἀκούοντες καὶ αἰτιωμένων ἀλλήλους τῶν λεγόντων, οὐδέποτ' οὐδὲν ἡμῖν μὴ γένηται τῶν δεόντων. § 45 ὅποι δ' ἂν στρατηγὸν καὶ ψήφισμα κενὸν καὶ τὰς ἀπὸ τοῦ βήματος ἐλπίδας ἐκπέμψητε, οὐδὲν ὑμῖν τῶν δεόντων γίγνεται. § 47 πῶς οὖν ταῦτα παύσεται; § 50 οὐ γάρ, ἅττα ποτ' ἔσται, δεῖ σκοπεῖν, ἀλλ' ὅτι φαῦλ', ἂν μὴ προσέχητε τοῖς πρᾶγμασι τὸν νοῦν καὶ τὰ προσήκοντα ποιεῖν ἐθέλητ', εὖ εἰδέναι. Denique tota illa orationis parte, quae pertinet a § 39 usque ad § 50, unam sententiam videtur Demosthenes amplecti eam, quae paucis verbis inclusa legitur in § 7 [2]).

quamquam δευτερολογία est, exordio est praedita neque ullam δευτερολογίαν vere Demosthenicam me legere memini, quae exordio careret. (Ea, quae Seebeckius, in Z. f. d. Alt.-Wiss., 1838, p. 784 exposuit, nunc praetermitto, quoniam posita sunt in sola coniectura neque ullo exemplo vel rerum necessitate videntur probari.) Id, quod tertium locum obtinet (n°. 3.), repugnat contra Demosthenis consuetudinem. Tantum enim abest, ut per legis vel alicuius tabulae ieiunam quandam recitationem finem ullius orationis tam tenuem faciat, quam si rivus, a largo fonte profluens, ad extremum arena exceptus exsiccetur, ut summa eius ars cernatur in clausulis idonee instituendis. Restat quartum (n°. 4). Huius vero vis infringitur eis causis, quibus secundum (n°. 2.) et tertium (n°. 3.) conatus sum refellere. 1) Ceterum Dem., cum his interrogationibus cives conaretur excitare, Timothei illud ἐνεργέστατον genus dicendi imitandum sibi videtur proposuisse, cuius exemplum invenitur apud Dem. 8, 74. 2) Haec ipsa res videtur Lelandio ante animum obversata esse, cum Demosthenem id exponere diceret, quod se expositurum esse prorsus

3) 16 § 18. Demosthenes dixit praetermittere se velle, quid Atheniensibus futurum esset, si Lacedaemonios paterentur Peloponnesi principatum recuperare [1]). Attamen id, quod erat dicendum, Lacedaemonios Peloponnesiacarum civitatum opibus, si potirentur, usuros esse ad Atheniensium opes infringendas et ob eam causam futurum esse, ut Athenienses cum Thebanis coniuncti arma caperent, satis dilucide satisque multis verbis Demosthenes inde a § 20 exponit, his maxime verbis: § 20 *φήμ' ἡμᾶς ἔσεσθαι συμμάχους Θηβαίων.* § 21 *ἐν φόβῳ καθεστάναι περὶ ἡμῶν αὐτῶν.* § 22 *ὑπὲρ τοῦ κομίσασθαι τὴν πρότερον οὖσαν αὐτοῖς δύναμιν· ὧν δ', ὅτ' ἐκείνην εἶχον, ὠρέγοντο, ταῦθ' ὑμεῖς μᾶλλον ἴσως εἰδότες ἢ ἐγὼ φοβοῖσθ' ἂν εἰκότως.* § 29 *Λακεδαιμόνιοι δ', ὅτ' εἶχον αὐτούς, ἐφ' ἡμᾶς ἐχρῶντο.*

4) 2 § 3. Demosthenes dixit se ea praetermittere, in quibus posita erat *ῥώμη* Philippi. Nihilo tamen minus eadem oratione omnes exposuit res, quibus nitebatur eius *ῥώμη*. Nam commemorat §§ 5 et 6 magnas tunc fuisse opes Philippi [2]), § 7 inesse in illo rege eam calliditatem, qua fere omnes, quibuscum aliquid agat, soleat superare et rebus suis addat incrementum [3]), § 8 Thessaliam veluti in provinciae formam ab eo redactam esse [4]), § 9 multa eum loca occupasse [5]), § 14 exercitum eius non esse omnino contemnendum [6]), § 17 exercitum magna apud omnes opinione bellicae virtutis florere [7]), § 15 summam inesse in Philippo propositi tenacitatem [8]), § 20 res eius prospere se habere [9]), § 22 multum momenti tribuendum esse fortunae, quippe quae Philippo arrideat [10]).

---

negasset. Lelandius autem (id quod simile est Kirchhoffii rationi) illa sententiarum repugnantia conatus est ita uti, ut Demosthenis orationem quartam ex duabus orationibus conflatam esse demonstraret. (Thomas Leland, the or. of Dem., vol. I, London 1757, p. 22. Cf. Jacobsium, Staatsred. d. Dem., p. 116.) 1) *οὐ γὰρ ἂν ἡγοῦμαι περὶ τούτου μόνον* (*μόνου*? cf. Dem. 18 § 236) *ἡμῖν εἶναι τὸν λόγον πρὸς ἐκείνους· ἀλλ' ἐάσω τό γ' ἐπελθὸν εἰπεῖν μοι.* 2) *μέγας ηὐξήθη* et *ηὐξημένον.* 3) *τὴν γὰρ ἑκάστων ἄνοιαν ἀεὶ τῶν ἀγνοούντων αὐτὸν ἐξαπατῶν καὶ προσλαμβάνων οὕτως ηὐξήθη.* 4) *δεδουλωμένοι Θετταλοί.* 5) *βίᾳ καθέξειν αὐτὸν τὰ πράγματα τῷ τὰ χωρία καὶ λιμένας καὶ τὰ τοιαῦτα προειληφέναι.* 6) *δύναμις καὶ ἀρχὴ . . . οὐ μικρά.* 7) *δόξαν μὲν ἔχουσιν, ὡς εἰσι θαυμαστοὶ καὶ συγκεκροτημένοι τὰ τοῦ πολέμου.* 8) *προῄρηται πράττων καὶ κινδυνεύων, ἂν συμβῇ τι, παθεῖν.* 9) *κατορθοῦν* et *εὐπραξίαι.* 10) *εὐτυχοῦντα* et *ὅλον ἡ τύχη.*

5) 18 § 30 *καϑῆντ' ἐν Μακεδονίᾳ τρεῖς ὅλους μῆνας*. Sed ipso Demosthene auctore scimus tantum abfuisse, ut legati per tres menses in Macedonia essent, ut inter pacem ab Atheniensibus iure iurando sancitam et legatorum Atheniensium reditionem non intercederent tres menses toti [1]). Videntur autem in tota legatione non plus 70 dies consumpti esse [2]). Sed de hoc numero debemus subducere tot dies, quot in ipso itinere faciendo consumebantur, donec legati non solum Athenis ad Macedoniae fines pervenerunt, sed etiam ex Macedonia Athenas reverterunt, i. e. 30 fere dies [3]). Fient igitur 40 dies, quos ferme dies legatos Atheniensium in Macedonia commoratos esse putemus [4]).

1) 19 § 57 *ἐλαφηβολιῶνος ἐνάτῃ ἐπὶ δέκα*. 19 § 58 *τρίτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ σκιροφοριῶνος*. Itaque ne id quidem satis verum est, quod legitur 19 § 57 *ἀπεδημήσαμεν . . . τρεῖς μῆνας ὅλους* et 19 § 158 *τρεῖς μῆνας ὅλους ἀποδημήσαντες*. Ad veritatem accessisset Demosthenes, si pro „*ὅλους*“ scripsisset „*ὀλίγου*“. 2) Aesch. 2 § 92 *μουνιχιῶνος ἐψηφίσϑη τρίτῃ ἱσταμένου*. Cf. Bruecknerum, K. Phil., p. 167 et A. Schaeferum, II, 225 e. q. s. Contarenus (var. lect., Venetiis MDCVI, p. 74) non „plusquàm nouem & sexaginta dies“ consumptos esse putat. Ceterum liceat mihi hic afferre Contarenum in eadem quaestione, quam de Demosthene instituit, de veritate illarum literarum 18 § 29 insertarum, quae speciem tabulae publicae prae se ferunt, primum, quod ego sciam, et illa aetate unum dubitavisse. Nam 200 fere annis ante Droysenium de illis literis haec scripsit, p. 76: „Quamobrē non iniuria hoc totum decretum mihi suspectum est“. 3) 19 § 155 *πρὶν εἰς Μακεδονίαν ἐλϑεῖν, τρεῖς καὶ εἴκοσιν ἡμέρας ἀνηλώσαμεν*. Reditio circiter 7 dies videtur sibi postulare, cf. 19 §§ 58, 59, 158 et 18 § 32. Etiam Spengelius (Abh. d. Bayer. Ak., phil. Cl., Band X, 1866, p. 43) legatos per 70 dies Athenis abfuisse dixit. Quod vero ab eis in reditione 23 dies consumptos esse putavit, id veri simile non est. 4) Tali vituperationi non solus Demosthenes obnoxius est, sed etiam alii scriptores haud raro contra se ipsos pugnant. Cf., ut pauca enumerem, Blassium, I, 193, Anm. 1, II, 268, Anm. 2, II, 297, Anm. 5, Sauppeum in Philol., XIX, 258, Seeligerum in Philol., XLIII, 422. De Platonis symp. 193, E constat id, quod Sauppeus aliquando dixit: „Hier haben die Herausgeber richtig herausgespürt, dass Platon einen kleinen Verstoss sich hat zu Schulden kommen lassen. Denn nach p. 175, A hat sich Aristodemos neben Eryximachos gesetzt. Und nach p. 185, D sitzt Eryximachos neben Aristophanes. Also hat Aristodemos noch vor Sokrates und Agathon gesessen“. (Addidit Sauppeus de ea re conferendum esse Zellerum, Gastm., p. 104.) Luculentum est id, quod Cic., d. n. d., II, 9, 23 dixit.

Sed dicat aliquis tantam esse suam de Demosthene opinionem, ut eum, quamquam potuerit errare, purgatum tamen esse quam maxime cupiat [1]) et, si ea sibi optio detur, ut id, quod in oratione Demosthenica minus recte se habeat, aut ad ipsum oratorem revocandum aut a librariorum socordia repetendum sit, multo se libentiore animo vituperationem a Demosthene prohibere. Audio. Et, si animi sententiam licet patefacere, ego quoque velim non solum in eius orationibus, sed tota vita nihil non laudandum inveniri. Itaque, si nobis cogitandum sit de errore librariorum in § 110 commisso, forsitan omnis sententiae repugnantia sic possit e medio tolli, ut legamus *ἐμαυ[τῷ ἐν]* [2]) *τῷ [παρόντι]* [3]) *παραλείπω*. Quod si cui probetur, per sit simile eius, quod Dem. 18 § 21 dixit, *ἐῶ γὰρ τοῦτό γ' ἐν τῷ παρόντι* [4]).

Partitio Ctesiphonteae a Kirchhoffio facta nititur etiam in eo, quod Demosthenes § 8 eandem sententiam, quae inest in § 1,

---

1) Dion. Hal., *π. τ. λεκτ. Δημ. δειν.*, 6, 968, 2 et 3 R. *ἐγὼ δ' ἠξίουν τηλικοῦτον ἄνδρα πεφυλάχθαι πᾶσαν ἐπιτίμησιν.* 2) Poterat Dem. hac pronuntiatione uti: *ἐμαυτῷ 'ν.* Similem in modum, ut unum exemplum afferam, Blassius in Dem. ed. Teubneriana quarta 8 § 24 scripsit *ἢ 'γώ.* 3) Ea verba, quae sunt „*ἐν τῷ παρόντι*“, ad Demosthenis consuetudinem dicendi pertinere confirmatur his locis: 15 §§ 12 et 22, 18 §§ 176 et 253, 19 § 269, 21 § 40. Ceterum Sauppeus, cum scholam haberet de Dem. or. duodevicesima, „wir haben“ inquit „auch schon gesehen, dass im Σ mehrfach Auslassungen notwendiger Worte statt gefunden haben, namentlich bei *ὁμοιοτέλευτα* und *ὁμοιόαρχτα*“. Cf. Weilium, rev. de philol. 1883, p. 7 et Cobetum, misc. crit., p. VI. Ad eandem quoque rationem mutandorum verborum fortasse ita revocanda est 23 § 142, ut pro „*αὐτῷ, θατέρῳ δέ*“ scribatur „*αὐτῶν [θατέρῳ], θατέρῳ δέ*“. Quamquam hoc loco Funkhaenelius (Zeitschr. f. d. Gymnasialw., 9. Jahrg., 1855, p. 495 et 496), id quod Sauppeus me admonuit, volgatam, quam vocant, lectionem retinendam esse existimavit. Sed id, nisi fallor, prorsus alienum est a Demosthenis dicendi consuetudine, ut *αὐτός* et *ὁ ἕτερος* talem in modum inter se opponantur. Qua de causa factum videtur esse, ut Sauppeus olim (in ed. Tur.) illud *αὐτῷ* e contextu verborum vellet removere. 4) Idem fere genus dicendi invenitur apud Plat., Menon. p. 97, B *ὃ νῦν δὴ παραλείπομεν* et apud C. Diltheyum, Cydippa, p. 28: „explicare nunc omittimus, eandem rem per maioris quaestionis opportunitatem postea resumpturi“ et apud Reuterum, introd. hist. in Dem. or. de cor., Wuerzburg 1845, p. 10: „nunc quidem non opus est, plura de his rebus dicere, quas mox paucis retractabo“. Cf. Dem. 14 § 23 *παραλείπομεν νῦν.*

eisdem fere verbis refert. Nam talem dicendi rationem in oratione una eademque Kirchhoffius ferendam esse negat [1]. Itaque illas §§ inter duas orationes sic distribuendas esse arbitratur, ut altera ponatur in exordio orationis prioris, altera posterioris [2]. Concedo recte Kirchhoffium intellexisse non esse factum satis apte, ut duae illae §§ simul in unam orationem reciperentur [3]. Neque tamen ob eam causam Demosthenis orationem duodevicesimam in duas orationes dirimendam esse censuerim. Duas igitur res conabor demonstrare: neque congruere Demosthenis consuetudini dicendi, quod par illud paragraphorum uni eidemque ordini orationis insertum sit, et posse aliquam indagari rationem rei expediendae a Kirchhoffii ratione diversam.

Quamquam multi sunt loci in orationibus Demosthenis, quibus ea, quae semel dixerat, rursus sibi dicenda esse putabat, nullum tamen invenio, cuius ratio sit eadem atque illa, quae intercedit inter 18 §§ 1 et 8. Id eo certius possum dicere, quoniam non solum omnia exempla sententiarum iteratarum, quae ab aliis allata esse sciebam [4], cum religione recensui, sed etiam ipse 197

1) P. 80. 2) P. 80—82. Cf. Foxium, p. 232 e. q. s., Blassium III, 1, 74 et 75, Weilium (ann., 1876) p. 179 et 180. 3) Non omnes certe sententias iteratas ferri posse exposuit G. Hermannus, de it. ap. Hom. 1840, p. 5 et 11. Etiam Blassius (Dem. orationes, vol. I[4], Lips. 1885, p. XXIV) concessit Demosthenem cavisse, ne „se ipse exscriberet", praesertim vero, ne „in eadem oratione eadem ab oratore repetita" invenirentur. Is vero *σχολιαστής*, cuius verba inveniuntur apud Bait. et Saupp., O. A., II, p. 76 b, vs. 28, id non videtur respexisse, quem ad modum hoc loco sententia esset iterata. Nam *ταυτότης ἐπιχειρημάτων*, si his verbis uti licet, non postulat necessario *ταυτότητα ῥημάτων*. 4) *Σχόλια* Demosthenica. Hermog., de id., 2, 6, III, p. 331 W. Tayl., cf. Schaef., app. D., II, 30 e. q. s. Exemplis a Ruedigero (Schaef., app. D., I, 130 e. q. s.) et Weiskeo (Schaef., app. D., I, 443 e. q. s.) inventis usus est Gersdorfius (cf. synops. p. 1 e. q. s.). Spaldingius, cf. Buttm., Midiana 1823, excerpta ex praef. Sp., p. VIII et IX. Buttmannus ipse, ib. p. IX. Broughamius, the Edinb. Review, 1820, p. 226—246, 1821, p. 82—110, 1822, p. 383—516. Gersdorfius, synops. repet. Dem. loc., Altenburg 1833. Quamquam Gersd. haud pauca exempla ex eis orationibus attulit, quas hodie plerique homines artis criticae periti a Dem. scriptas non esse putant (veluti or. VII. et X.). Westermannus, quaest. Dem., III, p. 127—166. A. G. Becker, Dem. als Staatsm. u. Redn., II, 384 e. q. s. Funkhaenelius, Dem. or. in Androt., praef. p. XII e. q. s. Dissenius, de cor., p. 152 e. q. s., 185, 188. Sauppeus, Dem. or. sel., p. 55 et 70. Dem., griech. u. deutsch,

exempla collegi, quae ab aliis mihi relicta esse videbantur, et complura eorum genera constitui. Sed, ne multa dicam, hoc loco de eis exemplis solis agam, quae proxime videntur accedere ad 18 §§ 1 et 8. Sunt autem haec. 1) 18 § 138 *μυρία τοίνυν ἕτερ' εἰπεῖν ἔχων περὶ αὐτοῦ παραλείπω.* 18 § 264 *πολλὰ τοίνυν ἕτερ' εἰπεῖν ἔχων περὶ αὐτοῦ παραλείψω.* 2) 18 § 291 *ἄλλα κατηγορηκότος αὐτοῦ καὶ κατεψευσμένου.* 18 § 294 *σχετλιώτερ' ἄλλα κατηγορηκότος αὐτοῦ καὶ κατεψευσμένου.* 3) 19 § 21 *διὰ ταῦτα χρήμαθ' ἑαυτῷ τοὺς Θηβαίους ἐπικεκηρυχέναι.* 19 § 74 eadem verba. 4) 23 § 95 *ὡς ἄρα πολλὰ τοιαῦτ' ἤδη γέγονε ψηφίσματα πολλοῖς.* 23 § 99 *ὡς γέγονε καὶ πρότερόν τισιν ἄλλοις τοιαῦτα ψηφίσματα.* 5) 24 § 32 *πᾶσιν ἐναντίον εἰσενήνοχε τοῖς οὖσι νόμοις.* 24 § 38 *νόμον εἰσήνεγκεν ἅπασιν ἐναντίον ὡς ἔπος εἰπεῖν τοῖς οὖσιν.* 24 § 39 *ἐναντίον εἰσενηνοχὼς τοῖς οὖσι νόμοις.* 24 § 41 *ὅλος μὲν γάρ ἐστιν ἅπασιν ἐναντίος τοῖς οὖσι.* 6) 27 § 3 *δέομαι δ' ὑμῶν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ... βοηθῆσαί μοι τὰ δίκαια.* 27 § 68 *δέομαι οὖν ὑμῶν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ... βοηθῆσαι ἡμῖν τὰ δίκαια.* 7) 27 § 24 *εἰς τοῦτ' ἀναιδείας ἐλήλυθεν.* 27 § 31 *εἰς τοῦτ' ἀναιδείας ἐληλύθασιν.* Neque tamen hi 7 loci sunt omnes ad iudicium recte faciendum nobis adhibendi, sed necesse est, faciamus inter eos discrimen. Namque in oratione pedestri [1]) multum refert, num eaedem sententiae fere eisdem verbis inclusae tam arto intervallo

Leipz., Engelmann, Kranzr. 1857, p. XIII e. q. s. A. Schaefer, III, 2, 87. Blassius, III, 1, 74 e. q. s., 195 e. q. s., 401 e. q. s. Addo Sauppeum, cum scholam haberet de Dem., etiam 18 § 20 (*τὰ δὲ τούτων — εὑρήσει*) cum 18 § 42 (*τὰ τούτων — αἴτια*). comparasse.

1) Illi, qui ad defendendum id genus dicendi, quod cernatur in 18 §§ 1 et 8, Homeri exemplo utuntur, ab una re videntur mihi minus, quam aequum erat, cavisse. Neque enim omnia, quae in componendis carminibus poetae concedenda sibi esse putant, scriptoribus prosae orationis licet imitari. Quisnam est nostrum, qui virum gravissimum ad reipublicae gubernacula sedentem, si ab hostibus superatus, lacessitus ab inimicis, denique obrutus fortunae saevitia rationem debeat reddere omnium rerum publice a se gestarum, decere putet imitari eam facilitatem dicendi, qua, ut exemplo utar et pervolgato et insignito eisdem verbis compluries positis, imbutum est carmen illud, quod inscribitur Heidenroeslein? An Goetheus, quotiescumque de rebus seriis disserens sermone pedestri utebatur, ipse id genus dicendi retinuit, quo ad illud carmen componendum usus erat?

inter se distent, ut is, qui vel orationem audit vel librum legit, memoria teneat id, quod recens est dictum. Quae dicendi ratio, nisi accedit acerbitas imprimisque ea, quae vocatur εἰρωνεία [1]), taedium solet movere. Quod quam verum sit, potest unusquisque nostrum ipse facile experiri. Habebit enim suos vituperatores neque paucos neque leves, si aut commentarium scribens aut orationem literis mandans in pagina ima eadem verba per 5 versus referet vel, ut aiunt, recoquet, quibus in summa pagina erit usus. Quin etiam si quis contionem habens intra semunciam horae bis recitet eandem verborum comprehensionem, profecto non desit, qui aut tacitus eum reprehendat aut verba huius sententiae in amici aures insusurret: „Eccillum oratorem bellissimum! Δὶς γὰρ ταὐτὸν ἡμῖν ὁ σοφός". Contra ea, si tantum intervalli inter easdem sententias bis dictas intercesserit, ut plerique vel audientium vel primo obtutu legentium tum, cum sententiam posteriorem animis percipiunt, priorem memoria non satis retineant, potest aliqua excusatio inveniri. Quamquam nequit negari, esse, qui nihil, quod semel scriptum sit, iterum scribendum esse putent [2]). Est igitur quaerendum, utrum ei loci, quibus eadem sententia in eandem fere formam redacta est, arto inter se intervallo distent necne. Accedit alterum. Neque enim ea ratio, quae in codicibus inter 18 §§ 1 et 8 intercedit, potest ab ipso Demosthene videri profecta sine dubio esse, nisi si plane congruit eius consuetudini dicendi. Tum autem congruit, cum in orationibus Demosthenis aut exstant exempla complura aut unum exstat, cuius ratio sit plane eadem. Tum autem est eadem, cum sententia semel dicta post intervallum non maius vel non multo maius iterum dicitur, quam quo §§ 1 et 8 inter se distant. Quae si ita sunt, nihil obstat, quominus exemplum eiusmodi postulemus, ut post 7 §§ posita sit § sententiam antea dictam referens. Sed ne nimis videamur acerbi, faciamus duplicem numerum paragraphorum ante iteratam sententiam positarum, i. e. 14 §§. Sequitur, ut ex 7 exemplis supra [3]) exscriptis nullum respiciamus nisi ea, quae numeris 2., 4., 5., 7. significavi. Est igitur videndum, num ea iteratio, quae exstat in 18 §§ 1 et 8,

---

1) Veluti Dem. 21 §§ 203 et 204. 2) Dion. Hal., π. τ. λεκτ. Δημ. δειν., 2, 956 et 957 R. οὐδὲν δεῖ νῦν πάλιν ὑπὲρ τῶν αὐτῶν λέγειν, cf. ib. 19, 1008 e. q. s. R. Polyb., I,1, 3. Cf. etiam Od., μ, 452 et 453. 3) P. 11.

ab eadem causa profecta vel alio modo similis sit horum 4 exemplorum. Accedamus ad singula. Ac primum quidem ea verba, quae ad numerum 2. adscripsi, et pauca sunt et ad certam quandam formam sunt potissimum revocanda, quae dici solet *ἓν διὰ δυοῖν*. Deinde ea verba, quae numerum 4. obtinent, et pauca sunt et videntur quodammodo necessarie in formam fere eandem redacta esse. Nam exponit Demosthenes, quid Aristocrates accusatus sit dicturus. Noluit igitur quidquam mutare de ipsis eis verbis, quae videretur ille facturus esse, sed quodammodo, ut verba ab hominibus grammaticis nunc usu recepta sequar, usus est oratione directa. Tum verba ad numerum 5. allata et pauca sunt et nituntur in parva quadam comprehensione, quae est *νόμους εἰσφέρειν*, et versantur in eo, quod est tamquam caput totius orationis. Nam simulatque id est iudicibus persuasum, Timocratem ferre *νόμον πᾶσιν ἐναντίον τοῖς οὖσι νόμοις*, illud *παράνομον*, quod accusator demonstrare studet, in dubitationem iam non potest vocari actumque tum est de Timocrate. Itaque e re videtur fuisse illa verba, quae sunt „*πᾶσιν ἐναντίον εἰσενήνοχε τοῖς οὖσι νόμοις*“, etiam atque etiam in iudicum animis tamquam in tabula aenea incidere. Denique ea verba, quae ad numerum 7. adscripsi, et pauca sunt et tota pendent ab ea comprehensione, quae est *ἐλθεῖν εἰς τοῦτ᾽ ἀναιδείας*. Sed a ratione horum, de quibus dixi, quattuor locorum multum remota est ea, quae in exordio orationis 18., §§ 1 et 8, cernitur. Neque enim ea verba, quae in hoc exordio iterantur, pauca sunt neque, cur omnino necesse fuerit ea iterari, causa satis certa afferri potest [1]). An homo considerate agens umquam sibi persuasit numen divinum infirma uti memoria? Itaque, quoniam haec verborum iteratio a Demosthenis consuetudine dicendi recedit [2]), non est laudandum, quod ambae simul §§ 1 et 8 in eandem orationem immissae sint.

Inde intelligitur, quam non sit verisimile utramque § ab ipso Demosthene in orationem duodevicesimam esse receptam. — Quid vero fiet his §§? — Idem, opinor, quod permultis illis locis, quae dicuntur *διττογραφίαι*: altera est in contextum verborum recipienda, altera

---

1) Verborum iteratio non necessaria haud ita bene convenit ei dicendi brevitati, quae laudari solet in Demosthene. Cf. Sauppeum, ep. crit., p. 38 (= Dem. or. sel., p. 10) et Dem. or. sel., p. 20. 2) Cf. etiam ea, quae dixit A. Schaefer, III, 2, 60.

reiicienda [1]. — Videturne tibi, quaeso, alterutra § non esse scripta a Demosthene? — Neutram non esse oriundam ab ipso oratore puto. Etenim inest in duabus eadem pietas erga numen divinum, eadem voluntas erga civitatem, idem numerus orationis, denique eadem gravitas et animi et dicendi. — Sed qua de causa, amabo te, eandem sententiam putemus dupliciter a Demosthene enarratam esse? — Id videtur fecisse tamquam ἁμιλλώμενος πρὸς αὑτόν, si Photii verbis [2] uti licet. Constat enim, quam multum oratoris intersit exordio animos audientium sibi conciliare. Fidei igitur absonum non est eum, cuius diligentiam permulti laudaverunt, summa cura id egisse, ut in sua ipsius causa gravissima [3] exordio uteretur omnibus numeris, si fieri posset, absoluto. Idcirco eam sententiam, quae potest videri veluti fastigium esse totius exordii, in duplicem formam redegit, §§ 1 et 8. Potuit autem exordium aut a summa sententia initum capere aut summa sententia terminari. Sive illa in initio exordii ponenda erat [4], opus non fuit § 8, sive in fine exordii aptius ponebatur, opus non fuit § 1. De utraque ratione sententiae collocandae videtur aliquando Demosthenes cogitasse. Quo factum est, si animi divinationem sequi licet, ut in volumine sua manu scripto alteram in contextu verborum, alteram in margine poneret. Id fecit eo consilio, ut duae rationes praesto sibi essent atque ipse tempore edoctus, utra esset melior, aut in habenda aut in edenda oratione aptiore sententiae forma uteretur. Sed re vera usus est una forma, alteram procul habuit [5]. — Jam vero qui factam est, ut utraque sententiae forma per omnium temporum codices usque ad nostram memoriam permanaret? — Is homo, qui primus ex volumine Demosthenis manu scripto orationem Ctesiphonteam vel ipse describebat vel ab aliis describendam curabat, id spectavit, ut ne minimum quidem verbum interiret, quod ab ipso Demosthene profectum esset. Omnia igitur descripta sunt, quaecumque in volumine scripto Demosthenis manu

---

1) Videor mihi videre hanc rationem congruere ei, quam Sauppeus, Goethiana (ind. schol. Gott. 1870), p. 3 et 13—15 exposuit. 2) Bibl., p. 491 Bek. 3) Dem. 18 § 8. Cic., de opt. gen. or., § 22. 4) Huic rationi aliquid momenti additur eo, quod Cic., de or., II, 77, 314 praecipit: „in oratione firmissimum quodque sit primum". 5) Ea videntur aliquo modo etiam ad Dem. transferri posse, quae Wilamowitzius (Hermes, XII, 338) de Thucyd. dixit.

inveniebantur [1]). Eadem pietate egerunt reliqui. Is enim est fructus a Deo O. M. viris et probitate et industria et ingenii acie egregiis pro tot laboribus tantaque vitae tristitia concessus, ut genus humanum omnia, quae ab eis profecta sunt, servare cupiat. Itaque codices omnes, quotquot ex oratione Ctesiphontea describebantur, deinceps ab ipsius Demosthenis aetate omnia verba continebant, quae ille aut in contextu eius orationis scripserat aut ad contextum addiderat. — Sed utra forma eiusdem sententiae Demosthenem in ipso iudicio usum esse putabimus? — Equidem putaverim usum eum esse § 1, removisse § 8. Causae, unde id mihi videor colligere posse, hae sunt. § 8 potest sic ex contextu verborum tolli, ut totus nexus sententiarum non mutetur neque quidquam intercidisse videatur. Sed eae preces ad deos conversae, quae insunt in § 1, non possunt ita divelli a verbis proximis, ut nihil videatur deesse. Neque enim stat sententia, si velis tale initium esse: § 1 *Μὴ τὸν ἀντίδικον σύμβουλον ποιήσασθαι* e. q. s., neque si tale initium proponatur: § 2 *Τοῦτο δ' ἐστὶν οὐ μόνον* e. q. s. Itaque intelligitur artissime coniunctam esse § 1 cum § 2. Ergo, si possumus demonstrare § 2 in iudicio esse recitatam, fit, ut § 1 simul cum § 2 recitata sit in iudicio. Fortasse autem aliquid afferri potest, quo videatur verisimile esse § 2 in iudicio a Demosthene dictam esse. Nam in § 2 petit Demosthenes ab iudicibus, ut se suo ipsius ordine defensionis uti sinant. Qui vero fit, ut id petat, quod per se tam iustum est, ut ne ullo quidem verbo egeat? Nam videtur hominis esse iniustissimi, non iudicis, praecipere reo, quo ordine ea, quae sui defendendi causa dicturus est, debeat proferre [2]). Causa petendi videtur ea fuisse, quod Aeschines, si eius orationi fidem habemus, in iudicio processerat eo audaciae, ut diceret [3]) debere iudices eundem ordinem defensionis a Demosthene postulare, quo ipse Aeschines in accusatione usus esset [4]). Ergo id, quod De-

1) Simile est id, quod Usener (ind. schol. Bonn., 1880/81, p. III) de libris Epicuri exposuit. 2) Cf. Huepedenium, adnotationum ad Dem. de cor. or. specimen, Cellis 1827, p. 19, et Rauchensteinium, observ. in Dem. or. de cor., Turici 1829, p. 6. 3) 3 § 206. 4) Dicat quispiam Demosthenem verba de ordine suae sibi orationis concedendo potuisse facere, etiamsi Aeschines illam rem non commemorasset. Sed si ipsa defensionis natura ferat postulare, quae

mosthenes contra ordinem ab Aeschine postulatum dicendum esse putavit, dictum est in iudicio [1]), si huius quoque orationi fides habenda est. Veri igitur simile mihi videtur esse Demosthenem § 8 apud iudices non recitasse [2]).

Demosthenes in § 2 postulat, forsitan non modo in alia oratione Demosthenica, sed etiam apud ceteros oratores idem postulatum inveniamus. Neque tamen memini ab ullo homine docto, qui orationem duodevicesimam commentario instruxit, ullum locum me legere adscriptum, qui esset huius loci similis. 1) Kirchh., p. 79. 2) Ad eandem rem pertinet alia quoque explicatio. Quam liceat mihi hic afferre, quamquam non est mea. Est enim Hermanni Sauppei. Nam Sauppeus, cum scholam de Dem. haberet, dixit, si accurate eius verba et auribus percepi et in chartulam meam transtuli, haec: „Es ist, so viel ich jetzt vermuten kann § 5—8 als eine andere Fassung fuer § 1—4 anzusehen und zwar ist wohl § 5—8 das Urspruengliche". Quae verba postquam cum pietate excepi, coepi mecum cogitare, quibus causis sententia Sauppei niteretur. Has igitur potui indagare. 1) Multis eorum verborum, quae sunt in §§ 1—4, facile possumus ideo carere, quod sententiae vel eaedem vel similes in reliqua oratione inveniuntur. Sententiae, ad quas id pertinet, sunt hae. a) Preces Demosthenes ad deos convertit, §§ 1 et 8. b) Dem. hortatur iudices, ut leges spectent neque minorem in se benevolentiam conferant quam in accusatorem, § 2 et §§ 6, 7. c) Nulla poena Demostheni est gravior, quam si privetur civium benevolentia, §§ 3 et 5. d) Dem. causam verborum omnium eorum, quae sibi de se ipso facienda sint, ad Aeschinem transfert, §§ 4 et 59. 2) Decet exordium eius orationis, quae vocatur *δευτερολογία*, esse quam brevissimum. (Cf. A. Schaeferum, III, 2, 122.) 3) Haud dedecebat Demosthenem initium orationis facere ab ea causa, qua fiebat, ut, cum Ctesipho esset accusatus, ipse tamen Dem. multa et gravia verba faceret, tamquamsi ipse esset accusatus. Ea vero causa inest in § 5. (Aeschines putavit, quod Ctesiphontis nomen ad iudices esset delatum, id Demostheni impedimento esse, quominus maior defensionis pars a Ctesiphonte tamquam cervibus ipsius Demosthenis imponeretur. Cf. Aesch., 3 § 200 *τί δεῖ σε Δημοσθένην παρακαλεῖν;* maxime vero § 210 *τί τὰ δάκρυα* e. q. s. Sed eo magis Dem. operam debebat dare, ut illud impedimentum removeret. Cf. Aristot., rhet., III, 14, p. 1415, a, vs. 30—32 Bek. Minus igitur verum id videtur esse, quod Nadrowskius in progr. gymn. Thorniens., 1880, p. 5 dixit: „Spuriae §§, quae interpolatorem redolent insulsum, sunt §§ 5. 6 7.") 4) Is orator non est vituperandus, qui, si alios homines conatur commovere, a temperato placidoque orationis genere escendit ad ardorem quendam animi, praesertim cum ille ardor cupiditate tam sit vacuus, quam est sincerum divini numinis et iustitiae studium. Id vero inest in exordio Demosthenis, si initium fit a § 5, finem autem facit § 8.

Kirchhoffius putavit id discrimen intercedere inter duas illas, quas constituerat, orationis partes, ut prior omnino careret ea animi acerbitate, quam nos vocamus Leidenschaft [1]), posterior eadem acerbitate esset insignis [2]). Sed tantum discriminis, quantum voluit, inter duas partes orationis non dixerim intercedere [3]). Documenta sententiae meae sunt haec.

A) Exempla acerbitatis ex ea parte orationis collecta, quam Kirchhoffius p. 89—99 commentarii sui edidit.

1) § 61 *φορὰν προδοτῶν καὶ δωροδόκων καὶ θεοῖς ἐχθρῶν ἀνθρώπων.* 2) § 87 *κἂν διαῤῥαγῶσί τινες τούτων.* 3) § 89 *οἱ χρηστοί.* 4) § 93 *τί γένοιτ' ἂν αἴσχιον ἢ μιαρώτερον;* 5) § 106 *τὸν καλὸν κατάλογον.* 6) § 108 *βάσκανον δὲ καὶ πικρὸν καὶ κακόηθες οὐδέν ἐστι πολίτευμ' ἐμὸν οὐδὲ ταπεινόν* [4]). 7) § 111 *οὗτος* (sc. Aeschines) *ἄνω καὶ κάτω διακυκῶν.* 8) § 112 *εἰς δὲ τοὺς συκοφάντας ἄγειν* [5]). 9) § 113 *οὗτος συκοφαντῶν* et *ὦ συκοφάντα.* 10) § 118 *συκοφαντῶν φανήσεται.* 11) § 119 *ὁ δὲ παμπόνηρος ἄνθρωπος καὶ θεοῖς ἐχθρὸς καὶ βάσκανος ὄντως ποῖός τις ἂν εἴη πρὸς θεῶν; οὐχ ὁ τοιοῦτος;* 12) § 120 *σκαιὸς εἶ καὶ ἀναίσθητος, Αἰσχίνη.* 13) § 121 *τί οὖν, ὦ ταλαίπωρε, συκοφαντεῖς; τί λόγους πλάττεις; τί σαυτὸν οὐκ ἐλλεβορίζεις ἐπὶ τούτοις; ἀλλ' οὐδ' αἰσχύνει* [6]).

B) Exempla acerbitatis ex ceteris verbis orationis Ctesiphonteae collecta.

14) § 11 *κακοήθης δ' ὤν, Αἰσχίνη, τοῦτο παντελῶς εὔηθες ᾠήθης.* 15) § 21 *οὐδ' ἂν σὺ διαῤῥαγῇς ψευδόμενος.* 16) § 22 *εἰς τοῦθ' ἧκεν ἀναιδείας.* 17) § 30 *οἱ χρηστοί.* 18) § 33 *τὸν κατάπτυστον τουτονί.* 19) § 41 *φενακίσας.* 20) § 50 *οὗτος* (sc. Aeschines) *ὥσπερ ἑωλοκρασίαν τινά μου τῆς πονηρίας τῆς ἑαυτοῦ*

1) P. 83. Ceterum de „vehementia orationis", nulla parte excepta, dixit Reuter, introd. hist. in Dem. or. de cor., p. 41. 2) P. 84 et 85. 3) Ad totam, opinor, orationem ea pertinent, quae Sauppeus de § 41 hunc in modum dixit: „Demosthenes kann vor Ingrimm kaum Worte finden. Seine Leidenschaft ist in dieser Rede besonders zu erkennen". Quam vero difficile fuerit Demostheni animi acerbitate omnino abstinere, ex Photii verbis, bibl., p. 492 Bek., intelligi mihi videtur posse. 4) Dem., cum haec diceret, tamquam digitum intendit ad pravitatem Aeschinis. 5) Dem. de Aesch. voluit cogitari. 6) Potest ipsum Aeschinis nomen videri extrema parte huius sententiae perstringi, maxime si quis pro *ει* literis dicat *η*, id quod Blassius in Dind. ed. quarta scripsit.

κατασκεδάσας. 21) § 127 σπερμολόγος, περίτριμμ᾽ ἀγορᾶς, ὄλεθρος γραμματεύς. 22) § 128 κάθαρμα. 23) § 129 τὸν καλὸν ἀνδριάντα καὶ τριταγωνιστὴν ἄκρον ἐξέθρεψέ σε. 24) § 130 οἷς ὁ δῆμος καταρᾶται. 25) § 131 πονηρὸς φύσει. 26) § 132 βάσκανος. 27) § 133 σεμνολόγον. 28) § 139 ὁ βάσκανος οὗτος ἰαμβειοφάγος. 29) § 153 μιαρὰ κεφαλή. 30) § 162 κίναδος. 31) § 180 σὲ δὲ μηδ᾽ ἥρω τὸν τυχόντα — Οἰνομάου τοῦ Κοθωκίδου σοῦ. 32) § 192 μὴ τὰ συμβάντα συκοφάντει. 33) § 196 κατάπτυστον. 34) § 197 φαυλότατος. 35) § 200 τίς οὐχὶ κατέπτυσεν ἂν σοῦ; 36) § 209 ὦ κατάρατε καὶ γραμματοκύφων. 37) § 212 ὑπερβολῇ συκοφαντίας et πῶς ἂν ὠμότερος συκοφάντης γένοιτ᾽ ἢ καταρατότερος; 38) § 239 συκοφαντῶν. 39) § 242 πονηρὸν ὁ συκοφάντης et φύσει κίναδος τἀνθρώπιόν ἐστιν et αὐτοτραγικὸς πίθηκος, ἀρουραῖος Οἰνόμαος, παράσημος ῥήτωρ. 40) § 244 ὦ κατάρατε. 41) § 245 σκαιός. 42) § 252 ἀγνωμοσύνην et βασκανίαν. 43) § 256 τῆς τουτουὶ τοῦ χαλεποῦ βλασφημίας καὶ συκοφαντίας. 44) § 258 ὁ σεμνὸς ἀνήρ. 45) § 263 λαγώ. 46) § 266 συκοφάντῃ. 47) § 267 „κακὸν κακῶς σε“ — πονηρὸν ὄντα. 48) § 275 ὠμότητι καὶ συκοφαντίᾳ. 49) § 276 γόητα καὶ σοφιστὴν e. q. s. 50) § 285 ὠμῶς κἀναιδῶς. 51) § 289 ἀγνώμονα — μιαρόν. 52) § 290 ὦ κατάρατε et τρέψειαν εἰς κεφαλήν. 53) § 291 λαρυγγίζων. 54) § 296 μιαροὶ καὶ κόλακες καὶ ἀλάστορες — τῇ γαστρὶ μετροῦντες καὶ τοῖς αἰσχίστοις τὴν εὐδαιμονίαν. 55) § 313 τραγικὸς Θεοκρίνης. 56) § 317 βάσκανον. 57) § 318 ὦ χρηστέ. 58) § 322 καταράτους. 59) § 324 ἐξώλεις καὶ προώλεις ἐν γῇ καὶ θαλάττῃ ποιήσατε.

Attuli igitur ex eis §§, quas Kirchhoffius edidit, 13 exempla, sed ex cetera oratione, quae circiter quattuor partibus maior est, 46 exempla.

Alia quoque res videtur afferenda esse.

In ea parte orationis duodevicesimae, quam Kirchhoffius apud iudices recitatam esse voluit, haud pauca [1]) dicuntur de eis rebus, quae sunt gestae ante pacem ol. 108, 2 a Philippo iure iurando sancitam. Contra ea Kirchhoffius putavit ea parte, quam vocavit den ursprünglichen Entwurf, Demosthenem nihil dixisse de rebus ante illam pacem gestis idque fecisse de ea causa, quod illa orationis

---

1) §§ 18 e. q. s.

parte nullius rei publice gestae rationem reddendam esse arbitraretur nisi earum, quas pro tota Graecia susceperat [1]). Tale discrimen ut constitueret inter duas illas orationis partes, eo factum videtur esse, quod Kirchhoffius arbitratus est omnes res ante illam pacem ab Atheniensibus contra Philippum gestas ad nihil aliud pertinuisse nisi ad Atheniensium opes conservandas, sed res post illud tempus gestas pertinuisse ad salutem totius Graeciae [2]). Sed, nisi fallor, Demosthenes in eis, quaecumque inde ab eo tempore, quo ad rempublicam accessit, usque ad extremum vitae spiritum publice vel dixit vel fecit, hanc sententiae normam secutus est, ut ante omnia Atheniensis populi [3]) salus et dignitas esset quam maxima, tum vero Athenienses, id quod eos homines decebat, qui merito atque ingenue principatum Graeciae vellent obtinere, ceterorum Graecorum libertatem ab impetu vel Graecae ullius civitatis vel exteri regis defenderent [4]). Itaque, quoniam cum Kirchhoffio consentio Demosthenem et ante illam pacem Atheniensium salutem et post eandem pacem Graecorum libertatem spectasse, nulla mihi hic videntur documenta ex Demosthenis orationibus afferenda esse nisi ea, quibus intelligitur Demosthenem ante ol. 108, 2 etiam eorum consuluisse Graecorum saluti, qui Atticam non incolebant [5]), et post idem tempus etiam Atheniensium saluti [6]). Proinde faciamus duos ordines exemplorum.

---

1) P. 67. Cf. p. 71 et 72. 2) Cf. Foxium, p. 278, 279, 291 e. q. s. 3) Polyb. (XVIII, 14, 11 Hultsch.) putavit Demosthenem omnia ad salutem Atheniensium rettulisse. 4) Haec quodammodo Demosthenem apud animum suum cogitasse putaverim: *δεῖ σκοπεῖν μὲν καὶ πράττειν ἀεὶ τὰ τὴν Ἀθηναίων πολιτείαν σώζοντα, συμπαρατηρεῖν δ', ὅπως ἅμα καὶ τὴν ἄλλην Ἑλλάδα σώσει ταὐτά.* Ab eadem sententia videntur ea profecta esse, quae Sauppeus dixit in Verhandl. der 7. Versamml. deutsch. Philol. in Dresd. 1844, p. 127. Cf. etiam A. Schaeferum, II, 312 et 313, Dissenium, p. 155 et 451, Bruecknerum, p. 11. 5) Alii quoque tum idem sentiebant, cf. Dem. 19 §§ 10, 11, 304, 319 et 18 § 20. Ceterum respice, sis, Westermanni Gesch. der Ber. in Griech. u. Rom, I, 104 et A. Schaeferum, I[1], 429. De Demosthenis orationibus XIV., XV., XVI., XXIII. dixit Ditgesius in progr. eius gymn., quod vocatur „an Marzellen", Coloniae 1878, p. 5 e. q. s. Cf. Plut., Dem., 12 *τὴν πρὸς Φίλιππον ὑπὲρ τῶν Ἑλλήνων δικαιολογίαν.* 6) Cf. Koechlyum, Neues Schweiz. Mus., II, p. 4 et 39, Dissenium, p. 145, Bruecknerum, p. 314, Winiewskium, p. 36 et 223. Justin., IX, 3, §§ 4 et 5.

A) Ad ordinem priorem pertinent haec exempla. 1) 1 § 2 *ψηφίσασθαι μὲν ἤδη τὴν βοήθειαν καὶ παρασκευάσασθαι τὴν ταχίστην, ὅπως ἐνθένδε βοηθήσετε* (sc. Olynthiis). Ad eandem rem pertinet totum argumentum orationum Olynthiacarum. 2) 3 § 20 *Φίλιππον δ' ἐᾶν πόλεις Ἑλληνίδας ἀνδραποδίζεσθαι.* 3) 15 § 9 *κελεύων Ῥοδίους ἐλευθεροῦν.* In eodem argumento tota oratio quinta decima versatur. 4) 15 § 30 *ἔσται δὲ ταῦτ', ἐὰν ὑπολειφθῆτε κοινοὶ προστάται τῆς πάντων ἐλευθερίας εἶναι.*

B) Exempla ad posteriorem ordinem pertinentia collegi 45. Pauca hic affero. 1) 6 § 16 *πάνθ', ἃ πραγματεύεται* (sc. Philippus), *κατὰ τῆς πόλεως* (sc. Athenarum) *συντάττων* [1]. 2) 8 § 5 *συσκευάζεται πάντας ἀνθρώπους ἐφ' ἡμᾶς.* 3) 9 § 9 *πάντα τἄλλα λαβὼν ἐφ' ἡμᾶς ἥξει* [2]. 4) 18 § 71 *ἐπιτείχισμ' ἐπὶ τὴν Ἀττικήν.* 5) 18 § 87 *ἕτερον κατὰ τῆς πόλεως* (sc. Athenarum) *ἐπιτειχισμὸν ἐζήτει· ὁρῶν δ', ὅτι σίτῳ πάντων ἀνθρώπων πλείστῳ χρώμεθ' ἐπεισάκτῳ* [3], *βουλόμενος τῆς σιτοπομπίας κύριος γενέσθαι* [4]. 6) 19 § 326 *ὁρμητήρι' ἐφ' ὑμᾶς ἐν Εὐβοίᾳ Φίλιππος προκατασκευάζεται.*

Videtur igitur ea orationis diremptio, quam Kirchhoffius voluit, causis compluribus [5]) minus commendari. Sed aliquid discriminis, nisi fallor, inter totum verborum contextum, qualem nunc habemus, faciendum est. Reputemus, quaeso, haec.

Si quis Graecum exemplum illius orationis ita legit, ut nihil nisi verba Demosthenis animo simpliciter percipiat neque ullum intervallum faciat, videntur, si ex eis, quae ipse expertus sum, recte iudicare possum, circiter 3½ horae opus ei esse. Vix igitur fieri potuit, ut in iudicio eadem oratio, a Demosthene inde a § 1 usque ad § 324 ita recitata, ut intervalla in dicendo recte constitueret et unumquodque verbum plane atque articulate eloqueretur [6]),

---

1) Blassius, III, 1, 304. 2) Drewesius (in progr. gymnas. Brunsviciensis, 1866), p. 33—36. 3) Eadem verba leguntur apud Dem. 20 § 31. 4) Cf. ea, quae *σχολιαστής* quidam (apud Dobsonem, O. A., tom. X, p. 102) ad ea verba, quae sunt „*τί ἔμελλον κελεύσειν*“, in hunc modum adscripsit: „*ἐδόκει . . . Βυζαντίους ὠφελεῖν, ὠφέλει δὲ καὶ τὴν πόλιν* (sc. Athenas) *διὰ τὴν σιτοπομπίαν*“. 5) Ea, quae alii attulerunt, consulto hic praetermitto. 6) Constat, quantum Dem. tribuerit elocutioni. Cic., de or., III, 56, 213. Plut., Dem., 7 et 11. Liban., ad Dem., p. 3 et 4 R. Cf. vit. dec. or., 840, D (IV, 1, p. 372 Wytt.) et Valer.

denique locos gravissimos lente graviterque recitaret[1]), una cum intermixtis haud paucis tabulis publicis, epistolis, libello accusatorio, testimoniis aliisque literis[2]) minus temporis spatium sibi postularet quam 6[3]) horas. Sed etiam Ctesipho, id quod ex iure Attico[4]) fieri debebat, pro se ipse ante Demosthenem dixit[5]). Itaque is modum non videtur excedere, qui Ctesiphontis et Demosthenis defensionibus apud iudices recitatis 7 horas tribuat. Eadem autem die Aeschines accusationem recitavit[6]). Faciamus orationem Aeschineam, quae nunc ex 260 §§ constat, 4 horas in iudicio sibi postulasse. Quo fit, ut una eademque die iudicibus ea, quae pro litigantium parte utraque vel contra utramque afferebantur, per 11 horas audienda fuerint. Id videtur nimium oneris esse. Nam nostris temporibus et raro fit et magna moles videtur esse, si quando iudicium a secunda ante meridiem hora initium capiat et usque ad septimam post meridiem horam pertineat[7]), i. e. 9 horas sibi postulet. Sed ad illas, quas paulo ante dixi, 11 horas accedunt etiam aliae. Nam ante accusatoris orationem iudices, quorum numerum in tanta causa haud exiguum fuisse putaverim[8]),

---

Max., VIII, 10, externa (alios locos ad hanc rem pertinentes attulit Stechowius, de vita Aesch. or., 1841, p. 15, numero 55).

1) Debemus, legentes, ut exemplis utar, paragraphos 1, 141, 208, conari cogitatione assequi, quantum momenti tum, cum easdem §§ homo artis peritus recitet, in eius voce insit. 2) Cf. §§ 29, 37, 39, 54, 73, 75, 77, 84, 90, 92, 105, 106 (tabulae duae), 115 (t. complures), 118, 120, 135, 137, 154 (t. compl.), 155, 157, 164 (t. compl.), 166 (t. compl.), 181, 212, 214, 217 (t. compl.), 221 (epistolae compl.), 223 (t. compl.), 267 (testimonia compl.), 289, 305. 3) Haud scio, an non Demosthenis vox et latera, ut de memoria nunc taceam, talem laborem sustinere potuerint. (Qui, quamvis esset exercitatus, homo tamen fuit, non ferreus, neque quidquam humani ab eo alienum fuisse debemus putare.) Erat enim tanta voce dicendum, ut non solum iudices, sed etiam multitudo ceterorum hominum, qui e tota Graecia convenerant (Aesch. 3 § 56. Cic., d. opt. gen. or., § 22), oratoris verba exaudirent, praesertim cum Demosthenis oratio non minus ad hos quam ad illos converteretur (Dem. 18 § 196). Praeterea tenendum est id, quod Cic., de inv., I, c. 17 exponit, si audientium animi defessi sint audiendo, in oratore nonnumquam offendi. (Cf. Dem. 18 § 50 *παρηνώχλησθε* et § 214 *μάταιον ὄχλον*.) 4) Schoemannus, Gr. Alt., I[2], p. 515. 5) Aesch. 3 §§ 201 et 202. 6) Dem. 18 § 225 *τήμερον ῥηθῆναι*. 7) Nos dicimus „von 10 Uhr Morgens bis gegen 7 Uhr Abends". 8) Lelandius, or. of Dem., vol. III,

debebant in foro convenire et sortiri [1]), accipere baculos [2]), se conferre in suum iudicium, accipere tesseras [3]), considere in subselliis, tum tura incendebantur atque praeco ad deos convertebat preces [4]), sed, postquam orationes habitae sunt, unusquisque iudicum debebat deliberare, num reus sibi videretur condemnandus esse, atque eam *ψῆφον*, qua sententiam suam erat significaturus, in urnam iudicialem coniicere, deinde numerus *τῶν ψήφων* religiose erat examinandus [5]), tum scriba, nisi fallor, iudicium literis mandabat, postremo is, qui iudicibus praeerat, publice id renuntiabat, quod maiori parti iudicum placuisset [6]). Eae res solent in iudiciis non tam celeriter quam cum dignitate fieri. Sed putemus omnes eiusmodi res in spatio 2 horarum potuisse coartari. Itaque, si respicias illas horas, quas antea dixi, fient tibi 13 horae. Sed per tantum temporis spatium continuum iudices munere suo sine cibo et aliqua animi relaxatione recte fungi non poterant. Graecorum autem consuetudinis id erat, ut, cum ter in die vires cibo recreandas esse statuissent, circa meridiem pranderent [7]). Itaque si illud iudicium prandio in duas partes diremptum sit, quarum utraque 6 vel 7 horas contineret, naturae humanae imbecillitas id quoque videatur postulasse, ut non minus in priore parte diei quam in posteriore aliquid intervalli ad quiescendum constitueretur, praesertim cum in iudicum numerum etiam senes recepti essent [8]). Veri igitur simile esse puto iudicibus tantum temporis ad edendum et ad animos relaxandos per totam illam diem concessum esse, quantum hodie, opinor, ne infimo quidem opifici caementario denegamus, i. e. 2 horas. Quodsi ad illum numerum, quem antea computavi, has quoque horas addiderimus, inter initium iudicii et finem 15 horas intercessisse reperiemus.

Id vero eo magis a veritate abhorret, quod, nisi fallor, illa die ne sol quidem per tantum numerum horarum terram collu-

---

introd.: „probably not less than five hundred". Etiam 6000 iudices aliquando interfuisse *γραφῇ παρανόμων*, discas ex Andoc., *π. τ. μυστηρ.*, § 17.

1) Schoemannus, I[3], 504. Dem. 19 § 1. 2) Schoem., ib. Dem. 18 § 210. 3) Schoem. ib. et Dem. ib. 4) Schoem., I[3], 515. 5) Cf. ea, quae Sauppeus exposuit in indice schol. Gotting., 1883, sem. aestiv., p. 5—7. 6) Schoem,, I[3], 517. 7) Guhlius et Koner, Leb. d. Gr. u. R.[4], p. 326. 8) Dem. 18 § 98.

strabat. Nam, si verbis hominum in geographia versantium hic mihi uti licet, inter terrae aequatorem et Athenas circiter 38° intercedunt. In gradu autem 38. dies longissimus constat ex $14\frac{3}{4}$ fere horis [1]. Sed, quoniam Athenae in ea parte terrae sitae sunt, quae ab aequatore ad septentriones vergit, longissimus Atheniensibus dies tum est, cum Junii mensis finis appropinquat. Neque tamen in illud tempus mensis Junii iudicium incidit. Videtur enim de lite Ctesiphontea actum esse inter menses Julium et Septembrem [2]. Quo fit, ut non multum a vero aberremus, si mense Augusto [3] iudicium factum esse arbitramur. Hoc autem mense dies solent Athenis 13 fere horas continere. Itaque, si nostram consuetudinem temporis discribendi sequi mihi licet, inter horas 5. et 6. temporis matutini sol oritur, occidit vero inter horas 6. et 7. temporis vespertini. Atque ne id quidem quidquam momenti affert, quod diluculum solem orientem antecedat et solis occasum subsequatur. Etenim in illa terrae regione diluculum paene nullum est [4]. Produci autem usque ad nocturnum tempus iudicia, nisi fallor, non solebant [5]. Itaque, quoniam illa die iudicium per 15 horas [6] habitum esse nequit, necesse est multo minus

---

1) Volger, Handb. d. Geogr., I[3], p. 10. 2) Cf. A. Schaeferum, III, 2, 338, et Westermannum, Rede v. Kr.[4], Einl. p. 8 (= 6. Aufl. p. 14). 3) Fortasse ne id quidem plane debemus negligere, quod solis aestus, qui Augusto mense solet esse summus, hominibus facile potest officere, quominus orationes contrarias per 11 horarum spatium productas diligenter audiant. 4) Ob eam causam videtur dici νὺξ θοή, e. c. Il., *M*, 463. 5) Rem iudicialem non esse productam ultra vesperum discas ex Dem. 21 § 85. Atque ne ea quidem iudicia, quorum potestas erat penes senatum illum in Areopago considentem, usque ad nocturnum tempus videntur producta esse. Nam ea, quae Aeschyl., Eum., 684 et 685 Dind. dicit, ad curam Areopagitarum in universum videntur pertinere. Fortasse autem Aeschylus illo loco poetice nihil aliud locutus est, quam quod Isocr., 3, 19 his prosae orationis verbis inclusit: καὶ τὰς ἡμέρας καὶ τὰς νύκτας ἐπὶ ταῖς πράξεσιν ὄντες. 6) In rationem non rettuli, qua difficultate is magistratus, qui oratoribus in iudiciis certos temporis fines ad dicendum constituit, et, si Graecis verbis uti licet, τὸ ὕδωρ ἐγχεῖν ἐκέλευσεν, affectus esset, si defensoribus 7 horas concessisset. Nam iustitia coactus esset idem tempus accusationi constituere. Itaque orationibus 14 horae fuissent concedendae. Ad quas cum accederent 4 illae horae, quae iudicibus necessario erant dandae, fieri non potuit, quin ille magistratus 18 horas in rationem referret.

temporis spatium a magistratu ad dicendum Demostheni concessum esse, quam quo spatio ea forma orationis duodevicesimae, quae nunc est in codicibus, recitari potest. Ea igitur verba, quae Demosthenes apud iudices fecit, dimidiam partem eius orationis, quam nunc habemus, vel haud ita multo plus quam dimidiam videntur aequiparasse. Quo factum est, opinor, ut defensione ipsius Demosthenis non multo plus 3 horae comprehenderentur atque, quoniam Ctesiphontis quoque oratio accedebat, tota defensio 4 horas sibi postularet [1]). Possumus autem, nisi fallor, etiamnunc coniectura assequi, qualis fere forma orationis a Demosthene oratae fuerit. Nam in ea forma, quam nunc habemus, §§ 1—125 in universum [2]) ita comparatae sunt, ut res per complures annos gestae [3]) tali verborum copia explicentur, qualis modum non excedit. Sed in ea parte, quae initium capit a § 126, res uno fere anno [4]) contra Amphissenses et ad Chaeroneam gestae tam abunde enarrantur, ut cum

---

1) Is magistratus, qui servum publicum vel alium quendam *τὸ ὕδωρ ἐγχεῖν* iubebat, non potest videri rationis expers fuisse, si hanc ferme dispositionem apud animum suum reputabat, quae infra scripta legitur. (Liceat autem mihi hic quoque pro Graecorum horis nostrum horarum ordinem adscribere ut meliorem.)

$5^1/_2$. *Ὁ ἥλιος ἀναδύεται. Ἀκράτισμα.*

6—7. *Οἱ δικασταὶ παρέρχονται, κληροῦνται, τὰς βακτηρίας παραλαμβάνουσιν, εἰσέρχονται εἰς τὸ δικαστήριον, παραλαμβάνουσι τὰ σύμβολα, καθέζονται. Τοῖς θεοῖς θυμιᾶται. Ὁ κῆρυξ εὔχεται τοῖς θεοῖς.*

$7—11^1/_2$. *Λόγος Αἰσχίνου. Μεταξὺ δὲ τούτου λέγοντος γίγνεται μικρὰ ἀνάπαυλα.*

$11^1/_2—12^1/_2$. *Ἄριστον.*

$12^1/_2$—5. *Λόγοι Κτησιφῶντος καὶ Δημοσθένους. Μεταξὺ δὲ τούτων λεγόντων πάλιν γίγνεται μικρὰ ἀνάπαυλα.*

5—6: *Οἱ δικασταὶ φέρουσι τὰς ψήφους. Ἡ γνῶσις ἐγγράφεται καὶ ἀναγορεύεται.*

$6—6^1/_2$. *Οἱ δικασταὶ ἀπέρχονται.*

$6^1/_2$. *Ὁ ἥλιος καταδύεται. Δεῖπνον.*

2) Singula, quae a brevitate dicendi recedunt, nunc non curo, veluti illam *διττογραφίαν* paragrapho 63 e. q. s. inclusam, de qua primus, quod ego quidem sciam, Taylorus dixit. 3) Res maximi momenti pertinent a pace per Philocratem facta (anno a. Chr. 346.) usque ad Byzantium per Atheniensium auxilia a Philippi obsidione liberatum (339), i. e. per 7 fere annos. 4) Circiter a media parte anni a. Chr. n. 339. usque ad Septembrem mensem anni 338.

priore parte non possint comparari. Est igitur verisimile partem posteriorem in iudicio fuisse multo minorem, quam nunc est. Jam, si ex oratione duodevicesima, qualem nunc habemus, omnia litis instrumenta removerimus, ipsis Demosthenis verbis circiter 300 §§ expleri reperiemus. Numerus igitur dimidiatus constat ex 150 fere §§. Deinde, si ex §§ 1—125, quales exstant in codicibus, omnia litis instrumenta tollere et paucas illas §§, quibus aliqua διττογραφία continetur [1]), seponere erimus ausi, verba Demosthenis in hac orationis parte posita circiter 100 paragraphos explere reperiemus. Quem numerum si deduxerimus de illis 150 §§, quas paulo ante commemoravi, reliquae erunt 50 §§. Numerus autem 50 paragraphorum satis magnus fuit, ut non solum de ipsius Aeschinis vita aliquid diceretur [2]), sed etiam eae res, quae pertinebant ad cladem Graecorum acceptam ad Chaeroneam, aliaque, quae Aeschines crimini dederat Demostheni [3]), haud parum copiose explanarentur. Sed haec explicatio ad aliam sensim sensimque nos deduxit quaestionem.

Fert enim ipsa rei natura, ut in eo labore Demosthenis, qui ad orationem Ctesiphonteam pertinet, tres gradus sint constituendi. Nam et ante iudicii diem debebat literis ea mandare, quae, priusquam Aeschinis orationem audivit, parare poterat [4]), et in ipso iudicio eis verbis, quae ante iudicium literis mandaverat,

---

1) Veluti §§ 8 et 63. 2) In ea forma orationis, quam nunc habemus, res ad vitam Aeschinis pertinentes in duas partes diremptae sunt, §§ 126 e. q. s. atque §§ 258 e. q. s. Naturae autem rerum magis convenire id videtur, ut omnia, quae de eius vita dicenda sint, eodem loco afferantur neque, ut uno exemplo utar, de eius parentibus, cum in §§ 129 e. q. s. satis acerbe satisque multis verbis dictum sit, iterum in §§ 258 e. q. s. dicatur. Talis verborum multitudo nimiaque animi acerbitas repugnat contra id, quod ipse Demosthenes promittit: § 126 *αὐτὰ τἀναγκαιότατα* et § 256 *μετριώτατα* (cf. Foxium, p. 332). Putaverim igitur Demosthenem uno loco (§§ 126 e. q. s.) de vita Aeschinis perpauca apud iudices dixisse, postea vero etiam alterum illum locum in orationem immisisse. 3) E. c. affero ea, quae Aesch. dixerat *περὶ τῆς τύχης* et *περὶ τῆς δεινότητος* Demosthenis. 4) Kirchhoffius (p. 84) putavit Demosthenem apud iudices fere omnia ex tempore dixisse. Id autem propter causae orandae gravitatem et Demosthenis diligentiam veri minus simile est. (Cf. A. Schaeferum, III, 2, 80: „auf das sorgfältigste vorbereitet".) Constat enim Demosthenem operam dedisse, ut, quam

voce erant ea addenda, quae ante auditam Aeschinis orationem scire non poterat[1]), et post factum iudicium non solum ea, quae

---

fieri posset plurima, de scripto diceret. (Plut., Dem., 8 et 9. Quintil., XII, 9, 16 „scripta ... plurima et, ut Demosthenes ait, ... sculpta" et X, 1, 106 „curae". Liban., ad Dem., p. 4 R. Dem. 21 § 191. Cf. Wyttenbachium, ad Plut., de educ. puer., VI, 1, Oxonii 1810, p. 105.) Et pertinet, nisi fallor, ad hanc quoque causam id, quod Cic., de or., I, 33, 150 dixit: „etsi utile est etiam subito saepe dicere, tamen illud utilius, sumpto spatio ad cogitandum paratius atque accuratius dicere". Accedit aliud, quod illi sententiae Kirchhoffii non faveat. Est enim difficillimum factu, ut is, qui orationem ex tempore habet, posteriore tempore verba sua accurate memoria repetat et literis mandet. Id potest quivis ipse experiri. Cf. Wilamowitzium, in Verhandl. der 32. Versamml. deutsch. Philol. 1877, p. 36, Anm.

1) Foxius (p. 53. 342 e. q. s.) eo inclinat, ut Demosthenem omnia ante iudicii diem et praesagiisse et conscripsisse putet. Id autem neque per se credi potest et repugnat contra ipsa Demosthenis verba, § 225 προῄδει μηδείς (cf. Kirchh., p. 60 et 61). Respice ea, quae dicit Looffius, der Process des Ktes., in progr. Quedlinb. 1881, p. 10. In universum vero cf. Sauppeum, Dem. or. sel., p. 51, ἐσκεμμένος. Atque Quintilianus (XII, c. 9), „omnia" inquit „parari non possunt". Quod quam verum sit, unusquisque intelliget, qui simpliciter sincereque secum reputaverit, num ipse, si Demosthenis locum obtinuisset, omnia se praesagiturum fuisse speret, quae Aeschines erat dicturus. Nam, ut unum exemplum afferam, quis est, qui possit hominibus rationis et veritatis studiosis persuadere ullum umquam fuisse causidicum, qui adversarium hac ludibrii forma usurum esse praesagiret: λαβὼν μὲν σεσίγηκας, ἀναλώσας δὲ κέκραγας? (Cf. Aesch. 3 § 218 et Dem. 18 § 82.) Quae verba si Aeschines ante iudicium cum Demosthene communicasset vel alio modo eorum aciem et salem deperdidisset, homuncio fuisset hebetissimus. Eis autem verbis, quae litigantes ante iudicium ad adversarios perferenda curabant (concessit enim Westermannus, Rede v. Kr.[4], Einl. p. 11 = 6. Aufl. p. 17, in causa Ctesiphontea aliquo modo cogitari posse de eis, quos vocabat Zwischenträger, cf. Westerm., de lit. quas Dem. or. ipse, in quaest. Dem., III, p. 77), homines prudentes non habuisse fidem, sed insidias cavisse facile cognoscas ex Dem. 27 § 53. Nam id omnes fere sciunt, quod Bentleyus (ep. of Phalaris, London 1777, p. XXII) his verbis inclusit: „it is an useful stratagem to spread a false report". (De similibus litigantium insidiis cf. Sauppeum, ep. crit., p. 12, et Dem 28 § 2.) Ceterum ipse Demosthenes professus est aliquam partem orationum dicere se solere ex tempore, cf. Plut., Dem., 8 οὔτε γράψας οὔτ' ἄγραφα κομιδῇ. Itaque recte A. Schaefer (III, 2, 79), Demosthenes non erat, inquit, „wie ein armseliger Rhetor ans Concept gebunden"

ex tempore dixerat, ad scriptam partem orationis coepit adscribere [1]), sed etiam totam Ctesiphonteam in talem formam redigere, qualem edere in publicum constituerat [2]). Eorum igitur graduum primus potest vocari commentarium orationis [3]) scriptum ante diem iudicii vel der ursprüngliche Entwurf [4]), secundus additamenta in ipso iudicio facta vel die mündlichen Zusätze [5]), tertius forma orationis post diem iudicii retractatae vel die schliessliche Redaction [6]). Atque illud commentarium, quod in primo gradu posui, Demosthenes, qua erat prudentia, ita debebat instituere, ut ea, quae in iudicio addenda sibi esse putabat, ordinem orationis in universum non perturbarent. Id autem optime videtur fieri potuisse, si Demosthenes, cum a rebus publice gestis et initium et finem summae disputationis suae repeteret, in media parte, in qua res minoris

---

e. q. s. Cf. vit. X, or., 848, C (Plut., mor., IV, 1, p. 402 Wytt. vel p. 1033, vs. 38—40 ed. Didotianae) *τοὺς δὲ πλείστους λόγους εἶπεν* (sc. Demosth.) *αὐτοσχεδιάσας, εὖ πρὸς αὐτὸ πεφυκώς*. Schmieder (in progr. gymn. Colbergensis, 1870, p. 6) eo videtur inclinare, ut etiam or. Olynthiacam I. ex tempore habitam esse non neget.

1) Veluti ea, quae *περὶ τύχης* (§§ 252 e. q. s.) et *περὶ δεινότητος* (§§ 276 e. q. s.) contra Aeschinis verba exposuit. Quinam fit aliter, ut illa, quae ante iudicium in oratione scripta non poterant inesse, nos nunc scripta legamus? 2) Documento est id, quod p. 20 e. q. s. exposui, orationem XVIII., qualis nunc est in codicibus, multo esse maiorem, quam quae in iudicio potuerit recitari. Simile est (id quod primus, nisi fallor, Sauppeus cum ratione huius orationis Demosthenicae comparavit), quod Cicero maiorem partem orationum ad Verrem pertinentium tum demum literis mandavit, cum reus Roma profectus esset. Ceterum cf. haec verba Ciceronis (Brut., c. 24): „pleraeque enim scribuntur orationes habitae iam, non ut habeantur". Etiam Caemmerer (de dupl. recens. or. Aeschineae contra Ctes. hab., 1876, p. 30 et 31) putavit Demosthenem „lite dirempta suam orationem retractasse". 3) Sequor verba Ciceronis (Brut., 44, 164). 4) Hoc nomen mutuatus sum a Kirchhoffio (p. 67, 80, 86). Neque tamen scio, num necesse sit omnes cum Kirchh. (p. 84) de tempore huius commentarii Demosthenis consentire. Nam etiamsi verisimile est prima quasi lineamenta ad ol. 111, 1 vel 111, 2 revocanda esse, potuit tamen fieri, ut etiam post illos annos quaedam eiusdem partis literis mandarentur. 5) Quam apta fuerit Demosthenis celeritas ingenii ad criminationes adversariorum ex tempore refellendas, demonstratur eis exemplis, quae Plut., Dem., 8 (Liban., ad Dem., p. 4 R.) et 11 et 27 attulit. Cf. ipsum Dem. 18 §§ 136 et 244. 6) Cf. A. Schaeferum, III, 2, 72 e. q. s.

momenti erant ponendae, aliquantum loci reservaret, quo potissimam partem additamentorum infarciret. Haec vero, quae alterum gradum obtinent, in iudicio tam artis finibus erant circumscribenda, ut tempus per κλεψύδραν constitutum orator non egrederetur [1]). Nempe Demosthenes, nisi fallor, tum fecit idem, quod hodie quoque causidici solent facere, ut, assidens in iudicio cum volumine suo ceterisque rebus ad scribendum necessariis, eo tempore, quo Aeschines

---

1) Si recte de numero 150 circiter paragraphorum paulo ante dixi, oratio in iudicio recitata videtur hunc fere in modum digesta fuisse:

I) Exordium	Circiter 10 §§	Hae sunt §§ in ea forma orationis, quam nunc habemus, numeris 1-125 designatae. (I – II B α)
II) Summa pars disputationis.		
A) Pars prior rerum maioris momenti.		
α) De pace per Philocratem facta	„ 40 §§	
β) De rebus a Dem. usque ad Byzantii obsidionem et ad legem navalem gestis	„ 40 §§	
B) Res minoris momenti.		
α) De ratione pecuniae reddenda deque honore Demosthenis in theatro Bacchico renuntiando .	„ 10 §§	
β) Potissima pars earum obiurgationum, quibus Dem. criminationes Aeschinis necopinatas ex tempore sibi refellendas esse putabat. C) Pars posterior rerum maioris momenti. Quid Dem. usque ad muros anno a. Chr. 337/6. refectos pro salute Atheniensium fecerit. III) Clausula.	„ 50 §§	

Quae si ita sunt, id forsitan, quod Kirchh. p. 60 et 61 dixit, dispositionem orationis Demosthenicae ante auditam Aeschinis orationem non potuisse institui, minus possit probari.

orationem habuit, omnes criminationes ex Aeschinis ore perceptas, quascumque commemoratione dignas putabat esse, in chartula vel ad verbum vel summatim conscriberet[1]. Ea autem, quae hunc in modum erant notata, poterat Demosthenes illo tempore, quod inter Aeschinis ipsiusque Demosthenis orationes intercedebat, secum reputare et in ordinem redigere. Sed post iudicii diem, credo, Demosthenes, cum orationem, id quod in tertio gradu ponendum est, in publicum edere vellet, ea occasione ita usus est, ut, quoniam monumentum aere perennius[2] a se exigi intelligebat, de gravissima parte rerum publice a se gestarum, i. e. de bello Amphissensi, in enarrando nihil reliqui facere conaretur, id quod eo facilius fieri poterat, quod non tam artis finibus scribens impediebatur, quam artis temporis finibus eius oratio in iudicio fuerat circumscripta. Videtur igitur ipsa rei natura hoc tulisse, ut Demosthenes in illo scriptae orationis exemplo, quod primum gradum obtinet, certis locis permulta, quae putabat addenda esse[3], vel ad marginem adscriberet vel in singulis schedis recens volumini suo affixis exponeret[4]. Itaque potuit fieri, ut haud pauca, quae ante iudicium in orationem receperat, postea aliquo modo iteraret. Duabus autem causis, nisi fallor, etiamnunc apparet Demosthenem eam partem operis, quae in tertio gradu ponenda est, ad finem non perduxisse. Nunc enim nec vola nec vestigium *τῶν Σειρήνων*[5] apud Demosthenem invenitur et silentio praetermittitur id, quod Aeschines[6] de rebus

---

1) Eo modo potuit fieri, ut quaedam verba, qualia Aeschines scripserat, talia apud Dem. invenirentur, veluti Dem. 18 § 127 *ὦ γῆ καὶ ἥλιε καὶ ἀρετή*, cf. Aesch. 3 § 260. Ceterum putaverim etiam Aeschinem, dum Demosthenes dicebat, assedisse non desidiosum, sed ea verba ex adversarii oratione percepta in chartulam suam coniecisse, quae sive eodem die sive postero tempore, sive per sermonem sive literis posse a sese refelli arbitrabatur. Cf. e. c. de Philammone et Glauco Aesch. 3 § 189 et Dem. 18 § 319. 2) Cf. etiam Dem. 18 § 231 *τὸν ἅπαντα χρόνον μνημονευθήσεται* et Dion. Hal., de adm. vi Dem., 51, p. 1114, vs. 1 et 2 R. *βουλόμενον μνημεῖα τῆς ἑαυτοῦ διανοίας ἀθάνατα καταλιπεῖν*. 3) Similis est ea ratio, de qua dixit Wilamowitzius, aus Kydathen, p. 1, Anm. Cf. etiam ea, quae Humboldtius sub initium Kosmi commemoravit: „Vorgetragen ... Mehrere Einschaltungen gehören einer späteren Zeit an". 4) Poterat asteriscis vel aliis signis denotare, quo quidque loco oporteret orationi inseri. 5) Aesch. 3 § 228. 6) § 55 et §§ 159 e. q. s.

post Ctesiphontis προβούλευμα gestis dixit. Neque enim quidquam causae fuisse intelligo, cur Aeschines Sirenum mentionem faceret, nisi si Demosthenes eo verbo usus est apud iudices [1]). Neque potuit fieri, quin Demosthenes Aeschinem de rebus cum causa oranda non coniunctis disserentem, si minus refelleret, at certe ob id ipsum vituperaret [2]). Quam vituperationem debemus eo magis exspectare, quod etiam ea verba, quae Aeschines de privatis rebus Demosthenis [3]) et de Philocratis pace fecerat [4]), quamquam multo magis cum universa causa cohaerebant, τοὺς ἔξωθεν λόγους Demosthenes vocaverat [5]) et ἔξω τῆς γραφῆς esse dixerat [6]). Sequitur, ut putemus Demostheni in animo fuisse haec quoque non minus quam cetera, quae apud iudices ex tempore dixerat, in scriptam orationem recipere, sed aliqua causa, quominus id faceret, esse impeditum [7]). Quae causa non est difficilis inventu. Nam viro et in republica maxime occupato et, si hac voce uti licet, ὀλιγογράφῳ puto omnino nec licuisse nec libuisse multum temporis subtrahere negotiis publicis et in scribendo collocare, id autem otii, quantulumcumque erat, haud multo post litem Ctesiphonteam Demostheni plane ereptum videtur esse. Namque, ut res minores nunc omittam, Demosthenes, cum annona cara esset, rei frumentariae praefectus est [8]), deinde de rebus ad Harpalum pertinentibus publice egit, postea ἀρχιθεώρου nomine Olympiam publice missus est, tum in carcerem coniectus, velutsi donum ab Harpalo accepisset, exulatum abiit ex patria [9]), haud multo post civitates Peloponnesiacas

1) Cf. A. Schaeferum, III, 2, 79: „dass Aeschines ihn nicht fingieren konnte". 2) Westerm., Rede v. Kr.^{4}, Einl. p. 10, Anm. (= 6. Aufl. p. 16). Multo etiam vehementius propterea debebat Demosthenes in Aesch. invehi, quod Aeschines (§ 54) eam causam, qua de causa illas res commemoraret, ad ipsum Demosthenem revocandam esse simularet. 3) Aesch. 3 §§ 171 e. q. s. 4) Aesch. 3 §§ 58 e. q. s. 5) Dem. 18 § 9. 6) Dem. 18 § 34. 7) Cf. Kirchhoffium, p. 85. 8) Cf. A. Schaeferum, III, 2, 339. Praterea verisimile id est, quod legitur in Rehdantzii editione (neun Philipp. Reden, I, 7. Aufl., Leipz. 1884, Einl. § 86, p. 66), post litem Ctesiphonteam Demosthenem revera fuisse ἐπιστάτην ὅλων τῶν πραγμάτων. 9) Etiam si quis in exilio satis otii fuisse putet, veri tamen simile non est Demosthenem ullum librum secum ex vinculis abstulisse. Ceterum quis est animi tam abiecti, ut eo tempore, quo summum taedium e rebus publice gestis ceperit (Plut., Dem., 26), quippe qui iniuria sit obrutus (Pausan., II, 33, 4 Bek., cf. Niebuhrium, kl. hist.

ad bellum contra Macedones suscipiendum excitavit, postremo in insulam Calauriam confugit. Atque de eadem causa factum videtur esse, ut oratio Ctesiphontea non ederetur ab ipso Demosthene [1]. Est enim verisimile, ut unum hic dicam, futurum fuisse, ut, si ipse orationem ederet, verba quaedam tolleret, quae nunc minus apte scripta leguntur. Sequitur, ut oratio Demosthenis, id quod primus, quantum ego possum iudicare, Kirchhoffius [2]) exposuit, ab alio inter res hereditate relictas sit reperta et edita [3]). Is fuit fortasse Demochares [4]). Nam et sanguinis communione cum Demosthene coniunctus erat [5]) et literis [6]) artique oratoriae [7]) operam dabat et a Macedonum partibus dissentiebat [8]) et alio quoque modo demon-

---

u. phil. Schr., I, p. 481, et Eysellium, Dem. a suspic. acceptae ab Harp. pecuniae liber., p. 37 e. q. s.), de rebus publice gestis quidquam velit scribere?

1) Cic., de or., III, 56, 213 ita dicit de hac oratione, utsi a Dem. edita sit. Neque tamen eius auctoritati in hac re nimium tribuerim. Nam dubium est, num Cicero, cum illud verbum, quod est „edita", scriberet, certum quendam auctorem secutus sit. Neque quidquam illo loco videtur voluisse amplius designare, quam si simpliciter dixisset „Demosthenis oratio Ctesiphontea". Quod vero Aeschines orationem Demosthenicam in insula Rhodo dicitur multis audientibus recitasse, id factum esse putaverim post mortem Demosthenis. Nam Aeschines non prius, quam Alexander mortuus est, Rhodum se contulit, vixit autem circiter usque ad annum a. Chr. 314. Cf. Clintonem, fast. hell., ed. Kr. 1830, p. 183, Stechowium, de vita Aesch. or., p. 16, Peterum, Zeittaf. d. Gr. Gesch.[4], p. 109. 2) P. 85 et 86. Etiam Blassius (Dem. or., vol. I[4], p. XXV) putavit fuisse „Demosthenis scripta quaedam inedita" et hominem quendam usum esse Demosthenis „commentariis ipsis". 3) Id autem videtur non esse concedendum Kirchhoffio (p. 86 et 87), eundem hominem quaedam de suo addidisse ad Demosthenis verba aut alio modo scriptum eius orationis exemplum immutasse. Quamquam Nadrowskius quoque, Kirchhoffium secutus, de §§ interpolatis verba fecit (p. 4 e. q. s.). 4) Cf. Blassium, III, 1, 63. 5) A. Schaefer, III, 2, 56 e. q. s. 6) Plut., Dem., 30. 7) Cic., Brut., c. 83, et de or., II, 23, 95. Vitae X or., 847, C (Plut., mor., IV, 1, p. 398 Wytt. vel p. 1032, vs. 30—32 ed. Did.) *κατὰ τοὺς πολιτικοὺς λόγους οὐδενὸς χείρων*. Cf. Blassium, III, 2, 304 e. q. s. 8) Polyb., XII, c. 13 Hultsch. Blassius, III, 1, 12, appellavit eum „Nachfolger" Demosthenis. Cf. haec verba Sauppei (Verhandl. d. 7. Vers. deutsch. Philol. 1844, p. 129): „dass er die Gesinnung seines grossen Oheims getreu bewahrte".

strabat, quantum Demostheni tribueret [1]), denique, si Wilamowitzius [2]) verum perspexit, ipse se iactabat in Demosthenis memoria quam maxime civium animis inculcanda. Is, nisi fallor, iussit librarios omnia, qualiacumque in illa oratione manu ipsius Demosthenis scripta inveniebant, talia accurate describere. Quae si ita sunt, apparet Demosthenis orationi Ctesiphonteae extremam manum non accessisse. Forma igitur orationis non tam recensita a Demosthene quam primitus exsculpta ad nostram aetatem permanavit, vel, si his verbis uti licet, legimus das Concept, an dem Demosthenes noch etwas zu arbeiten hatte, non die vollständig abschliessende Gestalt des Textes.

Videtur igitur hoc constare: ea, quae nunc scripta videmus in Demosthenis oratione Ctesiphontea, omnia [3]) a Demosthene non solum scripta, sed etiam in unum librum in unumque ordinem recepta esse, neque tamen uno tempore scripta neque ad finem scribendi perducta neque recensita esse a Demosthene, complures autem gradus in origine huius orationis factos esse, qui etiamnunc finibus satis certis possunt inter se discerni.

---

1) Demochares dicitur perfecisse, ut Demostheni mortuo statua publice poneretur. Cf. vitas X or., 847, D (Plut., mor., IV, 1, p. 399 Wytt. vel p. 1032, vs. 38—41 ed. Did. vel Rehdantzii neun Philipp. Red., I^7, Einl. § 89, p. 68). 2) Antig. v. Karyst., p. 189 e. q. s. 3) Excipienda sunt, nimirum, pauca illa vel librariorum vel aliorum hominum additamenta, quae vocari solent *γλωσσήματα*.

QUAESTIONES

DE ORATIONUM DEMOSTHENI FALSO ADDICTARUM SCRIPTORIBUS.

PARTICULA PRIMA.

DE ORATIONUM XXXV. XXXXIII. XXXXVI.—L. LII. LIII. LIX. SCRIPTORIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM CAUSA
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE IMPETRANDORUM

SCRIPSIT

PAULUS UHLE

NIEDERFROHNENSIS.

HAGEN I. GUESTF.
SUMPTIBUS ET TYPIS H. RISELII EIUSQUE SOC.
MDCCCLXXXIII.

EDUARDO AEMILIO MOSEN

PASTORI ZSCHOPAVIENSIUM PRIMARIO

AFFINITATE SIBI ET AMICITIA CONIUNCTISSIMO

D. D. D.

PAULUS UHLE.

Arnoldus Schaeferus, cum primus diligentius inter se compararet orationes illas, quas Demostheni falso adscribi idem primus exposuit accuratius, eo est adductus, ut primum ei oratori, a quo oratio XXXIII. composita est, XXXIV. etiam orationem atque LVI. vindicaret[1]), tum eius auctoris, cui XXXXIII. orationem adiudicavit, XXXXVIII. quoque iudicandam esse contenderet[2]), denique orationes XXXXV. XXXXVI. XXXXVII. XXXXIX. L. LII. LIII. LIX. uni scriptori attribueret[3]). In sententiam, quam professus est vir doctissimus de orationum XXXIII. XXXIV. LVI. XXXXIII. XXXXVIII. auctoribus, Fridericus Blassius ita transiit, ut eum, qui orationes XXXXIII. et XXXXVIII. confecisset, XXXV. etiam auctorem esse pro certissimo affirmaret[4]), quodque iudicium A. Schaeferus tulit de orationibus Apollodoreis, quae dicuntur, deque oratione XXXXVII., id Franc. Lortzingius[5]), Joann. Siggius[6]), quamquam minus quaerunt, num orationes illae ab eodem scriptore compositae sint, quam quatenus a Demosthene abhorreant, Blassius[7]) gravibus argumentis maxime ad dicendi rationem pertinen-

[1]) Cf. operis, qu. i. Demosth. u. seine Zeit, Lips. 1856/8, vol. III,2 p. 314 cll. pagg. 297—314.

[2]) L. l. p. 240 cll. pagg. 229—241.

[3]) L. l. pagg. 181—193, 199 cll. pagg. 158—199.

[4]) In libro, qu. i. Die attische Beredsamkeit, Lips. 1877, vol. III,1 pagg. 527; 524 cll. 511—525; 499 cll. 489—507.

[5]) In diss., qu. i. De orationibus quas Demosthenes pro Apollodoro scripsisse fertur, Berol. 1863.

[6]) I. d., qu. i. Der Verfasser neun angeblich von Demosthenes fuer Apollodor geschriebener Reden, in annal. phil. suppl. VI., pagg. 397—434.

[7]) L. l. pagg. 455—489.

tibus ita probarunt, ut orationes XXXXVI. XXXXVII. XXXXIX. L. LII. LIII. LIX. uni auctori tribuendas esse dicerent. Quem scriptorem eundem esse atque eum, qui XXXV. XXXXIII. XXXXVIII. conscripsisset, cum quadam probabilitatis specie affirmari posse Blassius putavit[1]). Sed et hanc opinionem et eam, quam A. Schaeferum secutus de orationibus XXXIII. XXXIV. LVI. proposuit, ut eius libri natura ferebat, non tam comprobavit, quam indicavit. Quae cum ita sint, cumque orationes XXXIV. XXXV. XXXXIII. XXXXVIII. LVI. ita adhuc neglectae iacuerint, ut eas a principe oratorum alienas esse nondum sit demonstratum — neque enim argumenta allata ab A. Baumstarkio[2]) et R. Dunckero[3]), ut orationem XXXIV., a W. Rohrmanno[4]), ut orationem XXXXIII., a G. A. C. Schwarzio[5]), ut orationem LVI. suppositiciam, ab H. Weilio[6]), ut orationem XXXXVIII. genuinam esse demonstraretur, satis firma esse equidem concesserim —, haec, inquam, cum ita sint, operae pretium memet facturum duco, si de orationum, quas enumeravi, scriptoribus accuratius exposuerim. Et in hac quidem quaestionum parte ea propositurus sum argumenta legentium oculis atque iudicio, quibus moveor, ut orationes XXXV. XXXXIII. XXXXVIII. ab alio ac quae inter Demosthenicas numerantur XXXXVI. XXXXVII. XXXXIX. L. LII. LIII. LIX. profectas esse credam. De orationum XXXIII. XXXIV. LVI. auctoribus alia agam occasione, quam mox mihi oblatum iri spero.

---

[1]) Cf. maxime libri l. pagg. 494 not. 4; 496 not. 7; 500 nott. 2 et 6; 501 nott. 1, 2, 5; 527.

[2]) In Prolegomenorum in orationem Demosthenis adv. Phormionem capite priore, Heidelbergae 1826.

[3]) I. d., qu. i. Inter privatarum causarum orationes Demosthenicas quae pro genuinis habendae sint quaeque pro falsis breviter exponitur, in Progr. Gryphimont. a. 1877 pagg. 12—17.

[4]) I. d., qu. i. Oratio quae est contra Macartatum num Demosthenis iudicanda sit, Gott. 1875.

[5]) In diss., qu. i. De oratione *κατὰ Διονυσοδώρου* scripta quae inter Demosthenicas est quinquagesima sexta, Gott. 1870, et in Progr. Gymn. Stadensis a. 1876: De Demosth. oratt. suppositiciis commentatio, pars prior.

[6]) I. l. Les harangues de Démosthène, Par. 1881, pagg. XI. et XII.

Atque cum secundum leges artis rhetoricae oporteat esse in oratore inventionem, dispositionem, elocutionem[1]) eamque ob causam optime, opinor, quae sit eius „vis ac facultas“[2]), possit intellegi, cum quaeratur, num tres illas virtutes eloquentiae prae se ferat, ita hanc commentationem instituendam puto, ut exponam primo loco, quatenus orationum nostrarum scriptores ea, quae causam probabilem reddant, invenerint, altero, quem ad modum ea, quae attulerunt, in ordinem distribuant, tertio, num sententiis et verbis idoneis atque ad inventionem accommodatis utantur. Disserendum igitur est

A. De inventione, quae est in orationibus XXXV. XXXXIII. XXXXVI.—L. LII. LIII. LIX.

„Omnis ratio dicendi“, ut ait Cicero de or. II, 27, 115, „tribus ad persuadendum rebus est nixa: ut probemus vera esse, quae defendimus; ut conciliemus nobis eos, qui audiunt; ut animos eorum ad quemcunque causa postulabit motum vocemus“[3]). Quaeram igitur necesse est primum de argumentatione, tum de affectibus conciliatis atque concitatis singularum orationum.

I. De argumentatione singularum orationum.

1. De argumentatione orationis XXXV.

Androcles[4]) Sphettius, cum aes faenebre, quod ipse et Nausicrates

---

1) ad Her. I, 2, 3.

2) Cic. de or. I, 31, 142.

3) V. etiam Volkmanni libr. Die Rhetorik der Griechen und Roemer, Lps. 1872, pagg. 221 proxx.

4) Nomen actoris iuvenies et in testimoniis (§§ 10, 14, 23) et in argumento a Libanio confecto. Formulas autem testimoniorum, decretorum, legum orationibus XXXV. XXXXIII. XXXXVI. LIX. insertas spurias esse minus mihi persuasit Westermannus (Untersuchungen ueber die in die attischen Redner eingelegten Urkunden, in Abhandlungen der K. saechsischen Gesellschaft der Wissenschaften, phil.-hist. Classe, I, Lps. 1850). Eas, quae exstant in or. XXXXIII., novissimus defendit A. Wachholtzius in diss. inaug., qu. i. De litis instrumentis in Demosthenis quae fertur oratione in Macartatum, Kiliae 1878.

De causa or. XXXV. exposuerunt Libanius l. l., A. Schaefer. l. l.

Carystius[1]) Artemoni et Apollodoro in navem et merces crediderant, Artemone mortuo solutum non esset, in Lacritum, fratrem[2]) debitorum, mercatoriam actionem intenderat (§ 3). Reus autem exceptione usus in iudicium mercatorium iure se vocari negaverat (§§ 45 et 46). Et primum quidem Lacritum et mercatorem se esse et contractum sibi cum Androcle esse negavisse existimaverim[3]). Nam Atheniensium legibus constitutum erat, ut actiones mercatoriae essent naucleris et mercatoribus apud thesmothetas[4]) de contractibus mercatoriis[5]). Tum fratris hereditate se abstinere dixerat (§§ 4 et 44). Affirmaverat enim Androcles, ut iure aes debitum petere videretur, eum ab Artemone omnium bonorum heredem constitutum esse (§§ 4 et 49)[6]). Hanc autem exceptionem

---

III,2 pagg. 286 proxx., R. Darestius in l., qu. i. Les plaidoyers civils de Démosthène traduits cett., Paris 1875, I, pagg. 314 proxx., Blass. l. l. III,1 pagg. 502 proxx.

[1]) Huius nomine sine dubio Androcles Lacritum simul petiverat. V. §§ 46 et 47, Blass. p. 502.

[2]) Plane consentio cum A. Schaefero, qui v. d. (p. 286; cf. G. H. Schaeferi Apparat. critic. et exegetic., Lond. 1827, IV. p. 566) Artemonem et Apollodorum fratres esse dicit; id quod luculentissime demonstratur verbis, quae leguntur §§ 8. *τῶν ἀδελφῶν τῶν ἑαυτοῦ*, 15. *οἱ ἀδελφοὶ οἱ τούτου*, 42. *τοὺς ἀδελφοὺς τοὺς αὐτοῦ*. Aliter iudicat Blassius (p. 502 not. 4) nisus verbis cum §§ 15, 3, 36 („und ebenso wird 15 ff. 3 f. 36 nur Artemon als L.'s Bruder bezeichnet") tum § 7. *Ἀρτέμωνι τῷ τούτου ἀδελφῷ καὶ Ἀπολλοδώρῳ*. At neque ex hoc loco concludi potest Artemonem et Apollodorum non fratres esse neque illis potuit fieri, quin Artemonem solum nominatum solum etiam Lacriti fratrem esse diceretur. Attamen mirandum videtur, quod auctor or. XXXV. paragrapho allata non scripsit: *Ἀρτέμωνι καὶ Ἀπολλοδώρῳ τοῖς τούτου ἀδελφοῖς*. Quod deinde v. d. veri dissimile esse et incredibile arbitratur ab oratore, si illi fratres fuissent, potuisse dici Lacritum solum Artemonis esse heredem, de eo videas, quaeso, ea, quae infra (p. 10) monebo.

[3]) Cf. Blass. l. l. p. 502.

[4]) Cf. Meieri et Schoemanni op. Der attische Process, quod auxit et correxit J. H. Lipsius, I, pagg. 80 not. 103, 95 proxx.; E. R. Schulzii d., q. i. Prolegomenon in Demosthenis quae fertur orationem adversus Apaturium capita duo, Lips. 1878, p. 28 not. 3.

[5]) Cf. Blass. l. l. p. 502, Schulz. l. l. pagg. 28 proxx.

[6]) In hac re totam causam positam esse facile est intellectu.

contra leges a Lacrito obiectam esse, ut iudices persuasum habeant, scriptori or. XXXV. efficiendum est.

Jam si quaerimus, qua ratione orator Lacritum actione mercatoria teneri studeat evincere, primum est dicendum eum ne contendisse quidem adversarium esse mercatorem. Tum nec illud, Androcli cum Lacrito contractum esse, aperte dicit; affirmat potius primum hunc pollicitum esse et fratres et se ipsum legitima quaeque actori praestaturos esse (§ 8. *Λακρίτου τουτουὶ ἀναδεχομένου μοι πάντ᾽ ἔσεσθαι τὰ δίκαια παρὰ τῶν ἀδελφῶν τῶν ἑαυτοῦ* cll. §§ 7 et 15; § 16. *αὐτὸς γὰρ ἔφη ποιήσειν μοι τὰ δίκαια ἅπαντα*), deinde Lacritum ipsum syngrapham et scripsisse et obsignavisse (§ 15. *τούτου αὐτοῦ γράφοντος καὶ συσσημηναμένου*), tum Lacritum pro fratribus, qui minores natu erant, mutuantibus omnem rem egisse sibique animum advertere iussisse (§ 16. *οὗτος ἦν ὁ πάντα διοικῶν καὶ ἑαυτῷ με τὸν νοῦν προσέχειν ἐκέλευεν*), denique Lacrito auctore Artemonem et Apollodorum contractum violavisse (§ 17. *κατὰ δὲ τὴν συγγραφὴν τὴν ναυτικὴν — οὔτε μέγα οὔτε μικρὸν ἔπραττον —, οὑτοσὶ δὲ Λάκριτος ἁπάντων ἦν τούτων ὁ ἐξηγητής* cll. §§ 22 et 28). Quae omnia orator sine dubio contendit, ut Lacritus ipse pactionem et confecisse et neglexisse iudicibus videretur[1]). Verum ut id, quod voluit, sit consecutus apud iudices satis attentos, equidem summo opere vereor. Sed utut haec se habent, cum frustra quaeras testimonium, quo id, quod contendit, confirmetur, verba oratoris nihili aestimanda sunt. Qua re iudicum nihil interesse potuit accuratissime enarrantem eum audire maximamque partem testimoniis etiam probantem, quem ad modum debitores fidem pactionis rupissent (§§ 18—27, 36—37, 50—54), vel refellere studentem ea, quae Lacritus creditoribus pecuniam repetentibus obiecerat (§§ 28—35). Is autem primum contenderat merces navi impositas, quas secundum syngrapham ex Ponto in locum mercium Athenis in Pontum importatarum Athenas revecturi fuissent, naufragio interiisse (§ 31). Quae dicentem ut refutet, orator testimoniis et argumento comprobat non eam navem, in qua Androcles aes collocaverit, fecisse naufragium, sed eam,

[1]) Cf. verba, qu. s. in Liban. argum.: *Ἀνδροκλῆς — εἰσπράττει — Λάκριτον — δύο προβαλλόμενος δίκαια, ὅτι τε παρόντος Λακρίτου καὶ ἀναδεξαμένου τὸ ἀργύριον ἐδάνεισε τῷ Ἀρτέμωνι —.*

quam Phaselitae alteri cuidam (Antipatro) pro pignore supposuerint quo ab eo pecuniam mutuam sumerent (§ 32), easque merces, quas non, Athenas, sed Theodosiam vecturi fuerint (§ 32); neque enim ex Ponto Athenas vinum solere importari, praesertim Coum (§ 35). Neque tantum mercium fuisse in nave deperdita orator dicit, quantum ex contractu inesse debuit (§ 32. *τό τ' οἰνάριον τὸ Κῷον ὀγδοήκοντα στάμνοι ἐξεστηκότος οἴνου, καὶ τὸ τάριχος* coll. testimoniis §§ 33 et 34 prolatis). Tum Lacritus obiecerat fratrem reliquam pecuniam naviculario cuidam in Ponto mutuam dedisse nec recipere potuisse (§ 36). Hoc contra contractum factum esse orator monet (§ 37). Sed adversarium mentitum esse non demonstrat.

Quod secundo loco Lacritum in exceptione affirmasse supra dixi, se hereditatem bonorum Artemonis repudiare, contra id orator nullo teste arcessito nihil aliud dictitat, quam reum fratrem Artemonis esse (§§ 3, 4, 16, 49), omnia a fratre hereditate relicta ut sua administrare (§§ 4, 44, 49), ab aliis, si quis fratri defuncto debuit, debita exegisse (§ 44). Quibus verbis nihil tribuendum esse etiam inde luculenter apparet, quod nulla causa probabilis cogitari potest, cur Artemo Apollodorum fratrem hereditate excluserit[1]).

Nunc videamus, quibus praeterea adiumentis orator ad rem iudicibus probandam utatur. Atque primum quidem haec fere dicit: si Androcles Artemoni pecuniam deberet, certe eam Lacritus ut heres acerbissime exigeret et si Androcles in iudicium vocatus contra Lacritum exciperet, summis hic se premi iniuriis conquereretur (§§ 44 et 45). Tum improbum adversarium esse putat, quod iudicibus, cum iudicia mercatoria exerceant, persuadere velit, ut litem mercatoriam sibi intendi licitum esse negent (§ 46)[2]). Postremo ex eo, quod causa non sit earum causarum, in quibus undecemviri, archon, rex, polemarchus, imperatores iudicent, sequi ait apud thesmothetas eam esse agendam (§§ 47—49). Quae omnia nihil esse nisi verba inepta atque inania, quis est, quin videat?

---

[1]) Cf. hui. diss. p. 8.

[2]) Cf. Blass. l. l. p. 507 not. 2 et Meieri et Schoemanni op. Der attische Process, quod auctum est et emendatum ab H. Lipsio, p. 159 not. 23.

Haec de argumentatione or. XXXV. exposuisse satis habeo; videor enim mihi ostendisse oratorem ne unum quidem attulisse argumentum, quo res, quae demonstranda erat, probabilis reddi posset.

Pergamus quaerere

2. De argumentatione orationis XXXXIII.

Ut paucis explicem, quae sit huius orationis causa: Sositheus[1] nomine Eubulidis (III) filii, quem Eubulidi (II) socero adoptaverat, Macartato Hagniae (II) hereditatem eripere studet[2]. Quod ut actor efficiat, recte orator ante omnia a iudicibus petit, ut adoptionem ratam habeant. Cf. verba, quae sunt §§ 83. *νομίζετε δὴ τὸν παῖδα τοῦτον, ὦ ἄ. δ.,* — *ἱκετεύειν* — *αὐτοὺς ὑμᾶς τοὺς δικαστάς, ὅπως μὴ ἐξερημωθήσεται αὐτῶν ὁ οἶκος* et 84. *ἀλλὰ τοῖς τε νόμοις βοηθεῖτε καὶ τῶν τετελευτηκότων ἐπιμελεῖσθε, ὅπως μὴ ἐξερημωθῇ αὐτῶν ὁ οἶκος,* cll. verbis § 11. *εἰσήγαγον εἰς τοὺς φράτερας τοὺς τοῦ Ἁγνίου Εὐβουλίδῃ τὸν παῖδα τουτονὶ* —, *ἵνα μὴ ἐξερημωθῇ ὁ οἶκος.*

Itaque auctori or. XXXXIII. demonstrandum erat Eubulidem (III) re vera secundum leges Atheniensium adoptatum esse[3]. Sed hoc non

---

[1]) V. Libanii arg. et testimonia, quae leguntur §§ 36 et 37.

[2]) De Hagniae (II) genere deque causa or. Macartateae exposuerunt Libanius l. l., J. J. Reiskius in Orator. graecor. vol. VII. p. 269, Bunsenius in commentatione de iure hereditario Atheniensium, Gott. 1813, pagg. 32 proxx., G. H. Schaefer., App. crit. V. pagg. 96 proxx., G. Fr. Schoemannus in Isaei oratt. XI edit., Gryphisw. 1831, pagg. 448 proxx., C. de Boorius, de heredibus intestatorum apud Athenienses et de or. Dem. XLIII., Hamb. 1838, A. Westermannus l. l. (Verhandl. der K. saechs. Gesellsch. d. W. I, 1850, pagg. 90 proxx.), A. Schaefer. l. l. pagg. 229 proxx., W. Rohrmann. in d. l., Darest. l. l. II, pagg. 22 proxx., Blass. l. l. pagg. 489 proxx., Guil. Grasshoffius i. d., qu. i. Symbolae ad doctrinam iuris Attici de hereditatibus, I, De successione ab intestato, Berol. 1877, pagg. 38 proxx., A. Wachholtz. l. l. pagg. 8 proxx. Cf. etiam Guil. Dindorfii editionem Oxoniensem, VII, pagg. 1187—1189, 1194—1199.

[3]) Utrum adoptio contra leges facta sit necne, diligentius quaerere nostrum non videtur esse; ceterum non est, cur Wolfium (Dindorfii edit. Oxon. tom. VII. p. 1191), A. Schaeferum (l. l. pagg. 233—234), Blassium (l. l. pagg. 491 not. 1 et 494) secuti eam contra leges Atheniensium factam esse negemus.

fecit; nam desunt et argumenta et testimonia[1]). Porro debuit auctor or XXXXIII. iudicibus probare Eubulidi (III) optimum ius in Hagniae (II) bona esse. Quae cum Theopompus, pater Macartati, in iudicio adversariis victis nactus esset filioque reliquisset, oratoris erat ostendere Eubulidi (III) in Hagniae (II) hereditatem melius ius esse, quam Theopompo. Atque cum Eubulidi (III) non ex testamenti titulo liceret bona Hagniae (II) ~~petere~~, ~~oratorem~~ perspicuum est non potuisse persuadere iudicibus, ut illa Macartato abiudicarent, nisi ita, ut Eubulidem (III) defuncto genere propiorem esse, quam Theopompum, probaret: nam ex legibus, quae sunt de successione ab intestato, ut quisque cognatione proximus est, ita ceteris antefertur. Quae omnia sibi facienda esse recte orator perspexit. Ait enim § 17: *ἐὰν γὰρ ἐπιδείξω Θεοπόμπου τοῦ πατρὸς τοῦ Μακαρτάτου γένει ὄντας Ἁγνίᾳ ἐγγυτέρω Εὐβουλίδην τὸν παῖδα τουτονὶ καὶ Φυλομάχην*[2]) —, *ταῦτ' ἐὰν ἐπιδείξω, δέομαι ὑμῶν, ὦ ἄ. δ., βοηθεῖν ἡμῖν.*

Hic quaeramus necesse est, quid Athenienses de ordine successionis ab intestato statuerint. De qua quae fuit lex[3]), eam Isaeus in § 1. orationis de Hagn. hered. ita interpretatur („*ταύτας ποιεῖ τὰς ἀγχιστείας ὁ νομοθέτης μόνας, συντομωτέρως τοῖς ῥήμασιν ἢ ἐγὼ φράζω*"), ut dicat, primo *γένει* (= lineae)[4]) eorum, quibus iure hereditatem defuncti petere liceat, adscribi fratres germanos eorumque liberos, alteri

---

1) Cf. §§ 13, 14, 82.

2) Phylomache (II) quasi soror Eubulidis (III) filii Eubulidi (II) adoptati eadem cognatione, qua Eubulides (III), Hagniam (II) attingit.

3) Lex ipsa, quam § 51 orationis in Mac. legimus, utrum genuina sit an suppositicia, accuratius disquirere parum refert: expondituri enim, quid sit iudicandum de or. XXXXIII. argumentatione, Isaei maxime nitemur verbis. Indicasse satis habeo me plane cum E. Caillemero (Le droit de succession légitime à Athènes, Paris-Caen 1879, pagg. 14 not. I et 81 not. I) assentiri M. Buermanno, qui v. d. in Mus. Rhen. tom. XXXXII. pagg. 353 proxx. legem illam defendit contra Seeligerum (Mus. Rhen. vol. XXXI. pagg. 176 proxx.), cuius opinionem secutus est Grasshoffius (l. l. pagg. 71—79).

4) Cf. Grasshoffii diss. l. p. 9 et quae nuper disseruit de verbo *γένους* Herm. Schwebschius: De oratione quae contra Leocharem a Demosthene scripta fertur, Berol. 1879, pagg. 100—102.

sorores germanas earumque liberos, tertio consobrinos a patre usque ad eorum liberos, cett.[1]). Iam cum omnes, qui primi et secundi *γένους* sunt, a patre defuncti, qui tertii sunt, ab avo defuncti descendant, argumentum illius legis etiam ita enarrari potuit, ut diceretur, primum eis hereditatem adeundam esse, qui ex familia (domo, *οἴκῳ*)[2]) patris, deinde eis, qui ex familia avi essent.

Ut vero intellegatur, cui *γένει* Eubulides (III) et Theopompus sint tribuendi, sive e cuius familia (*οἴκῳ*) sint, hoc stemma, quo Hagniae (II) genus explicatur, subiiciam:

Buselus

Hagnias (I) — Eubulides (I) — Stratius (I)

Polemo — Phylomache (I) ∞ Philagrus — Callistratus — Charidemus

Hagnias (II) — Eubulides (II) — — — Theopompus

Phylomache (II) ∞ Sositheus — Macartatus

Eubulides (III), filius adopt. Eubulidis (II)

Ex hoc stemmate perspici potest Eubulidem (III) Hagniae (II) consobrini a patre filium[3]) eamque ob causam ex secunda, i. e. ex avi familia (*οἴκῳ*) esse, Theopompum autem non Hagniae (II), sed Polemonis consobrini filium eamque ob causam ex proavi familia esse. En

---

[1]) Verba Isaei sunt: *ὁ δὲ νόμος περὶ ἀδελφοῦ χρημάτων πρῶτον ἀδελφοῖς τε καὶ ἀδελφιδοῖς πεποίηκε τὴν κληρονομίαν, ἂν ὦσιν ὁμοπάτορες. τοῦτο γὰρ ἐγγυτάτω τοῦ τελευτήσαντος γένος ἐστίν. ἐὰν δ᾽ οὗτοι μὴ ὦσι, δεύτερον ἀδελφὰς ὁμοπατρίας καλεῖ καὶ παῖδας τοὺς ἐκ τούτων. ἐὰν δὲ μὴ ὦσι, τρίτῳ γένει δίδωσι τὴν ἀγχιστείαν, ἀνεψιοῖς πρὸς πατρὸς μέχρις ἀνεψιῶν παίδων.*

[2]) Recte Grasshoff. p. 11 sic: „Significavit igitur (sc. *οἶκος*) et rem familiarem, in qua fundamenta familiae posita sunt, et eos, quos iura sanguinis cum patre familias coniunxerunt, i. e. liberos"; cf. Schwebsch. l. l. pagg. 102—104.

[3]) *πρὸς πατρός* semper ad patrem defuncti referendum esse per se patet. Cf. Grasshoff. l. l. p. 31 not. 96. Rohrmannus (l. l. p. 10), ubi orator Eubulidem (III) *πρὸς πατρός* cum Hagnia (II) cognatione coniunctum esse dicit, *πρὸς πατρός* in *πρὸς μητρός* mutare voluit!

causa, cur scriptor orationis § 28 contendat: *οὐ προσήκει δὲ, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, οὐδένα ἀνθρώπων ἔχειν τὸν κλῆρον τὸν Ἁγνίου* (sc. II) *ἐξ ἑτέρου οἴκου ὄντα, ἕως ἄν τις λείπηται τῶν γενομένων ἐν τῷ οἴκῳ τῷ Ἁγνίου* (sc. I)[1], *οὐδ' ἐκβάλλειν βίᾳ, ὅπερ οὗτοι διαπράττονται, γένει τε ἀποτέρω ὄντες καὶ οὐκ ἐν τῷ αὐτῷ οἴκῳ*[2]).

---

[1]) Cum Bunsenius hoc loco Hagniam (II) intellegendum esse censeat (l. l. p. 34: „Demosthenes — hoc uno semper utitur hunc (sc. Eubulidem (III)) in defuncti domo (*οἴκῳ*) — esse constitutum"), non est mirandum, quod totam or. XXXXIII. ratiocinationem „miram" et „maxime memorabilem" esse dicit. Sed re vera oratorem Eubulidem (III) in Hagniae (I) domo esse contendere luculentissime apparet ex locis his: §§ 29 cl. § 47. *προσποιούμενος τοῦ αὐτοῦ οἴκου εἶναι Ἁγνίᾳ* (sc. II); 50. *οὑτοσὶ ἕτερος οἶκός ἐστιν ὁ Ἁγνίου ἑνὸς τῶν Βουσέλου υἱέων*; 52. *ἀλλὰ τίνι δίδωσιν* (sc. *τὴν κληρονομίαν*); *τοῖς ἐκγόνοις τοῖς Ἁγνίου τοῖς οὖσιν ἐν τῷ οἴκῳ τῷ ἐκείνου*. Errat etiam (ut alios praetereum) Blassius, qui in causa huius or. explicanda Romanam computationem graduum in ius hereditarium Atheniensium transtulit; ait enim p. 494: „und doch liess sich zeigen, dass nach richtiger Interpretation des Gesetzes (sc. de succ. ab intest.) Theopomp gar kein Erbrecht habe, da er nicht Vetterssohn (*ἀνεψιαδοῦς*) des Hagnias, sondern um einen Grad weiter verwandt war, indem ihre Vaeter Vettern gewesen." Primus, quod sciam, or. XXXXIII. argumentationem intellexit Grasshoffius, qui l. l. p. 12 not. 36 haec: „nam Eubulidem III per Hagniae II avum, adversarium autem per proavum cum Hagnia II cognatione coniunctum fuisse orator demonstrat."

[2]) Dicet fortasse quispiam, qui cum Seeligero (Mus. Rh. XXXI. pagg. 176 proxx.) et Grasshoffio (l. l. pagg. 8, 19, 71—79) persuasum habet verba legis § 51 adscriptae, qu. s. *ἐὰν δὲ μηδετέρωθεν ᾖ ἐντὸς τούτων, τὸν πρὸς πατρὸς ἐγγυτάτω κύριον εἶναι*, ficta esse a legum quodam fabricatore, oratorem debuisse demonstrare non tam Theopompum *γένει* remotiorem esse Eubulide (III), quam eum ut sobrinum defuncti omnino successione exclusum esse. At qui sobrinos in ius successionis venire negabit, eum optime spero refelli posse primum verbis Isaei, quibus illis ius hereditatis esse aperte affirmatur (de Hagn. her. §§ 8, 11, 12, 30). Deinde mihi quidem videtur naturae maxime congruens esse, ut post eos, qui *πρὸς πατρός* et *πρὸς μητρὸς μέχρι ἀνεψιῶν παίδων* sunt, ei in hereditatem vocentur, qui a proavo *πρὸς πατρός* descendunt. Non probo igitur ordinem successionis, quem Grasshoff. l. l. p. 71 constituit: „Si vero nemo fuit, qui ab avo defuncti paterno descendit, hereditas

Cum omnia, quae de genere Hagniae (II) exponuntur, testimoniis etiam confirmentur, negari non posset, oratorem Eubulidem (III) Hagniae (II) cognatione propiorem esse, quam Theopompum, iudicibus demonstrasse, nisi Eubulidis (III) adoptionem ex legibus factam esse

---

ad avi (sc. paterni) patrem vel defuncti proavum paternum, tum ad avi (sc. paterni) matrem vel defuncti proaviam paternam venit. — Post hos avia paterna hereditatem consecuta est. — Aviam paternam ii, qui ab ea descendunt, eadem ratione secuti sunt, qua avum paternum ii, qui ab eo descendunt. Si ex his nemo superfuit, eadem ratione, qua avi paterni parentibus, aviae paternae patri vel defuncti proavo paterno, tum aviae paternae matri vel defuncti proaviae paternae hereditas obvenit. Nunc ad eum locum pervenimus, ubi successionem ad cognatos a matre transiisse supra dixi." Porro, quod scriptor or. XXXXIII. Theopompo § 27 ius hereditatis denegat — recte enim mihi videntur Schoemannus (ad Is. p. 458), G. H. Schaeferus (App. cr. et exeg. V. p. 103), de Boorius (l. l. p. 61), Dindorfius in ed. Teubn. a. 1878, (neque vero in ed. Oxon.), Grasshoff. (l. l. p. 37) ἑαυτῷ codicum A et r auctoritatem secuti in textu posuisse —, id ullius momenti esse equidem negaverim; neque enim omnia, quae in or. XXXXIII. affirmantur, vera sunt. Denique Grasshoff. p. 37 contendit verbis [οἱ πρὸς πατρὸς] μέχρι τῶν ἀνεψιῶν παίδων, nisi sobrini excluderentur, sobrinos cum consobrinis in unam eandemque classem relatum iri; quod pravum esse existimat. Quid? qui possunt verba μέχρι τῶν ἀνεψιῶν παίδων in hac nostra lege significare „usque ad sobrinos", cum semper sermo sit de iure successionis cognatorum defuncti eamque ob causam illis verbis nihil aliud exprimatur, quam eos, qui sunt πρὸς πατρός, μέχρι defuncti ἀνεψιῶν παίδων i. e. usque ad defuncti consobrinorum filios in ius hereditatis venire? Non vidit vir optimus duorum quidem vel plurium ἀνεψιῶν παῖδας idem valere atque ἀνεψιαδοῦς (= sobrinos), non autem certi cuiusdam ἀνεψιῶν παῖδας.

Occasione oblata liceat mihi proferre ea argumenta, quibus refutari posse arbitror Grasshoffii sententiam, quam posuit pagg. 19 proxx., in linea avi eodem modo, quo in patris linea ius repraesentationis non conclusum esse intra certorum graduum terminos. Primum quidem, si verum esset, quod Gr. contendit, mirari subiret, quod legumlator non scripsit μέχρι πάππου vel μέχρι θείου παίδων. Tum Plato (XI. p. 925 A) distinctis verbis dicit μ. ἀ. π. idem esse ac μέχρι πάππου παίδων υἱιδῶν (cf. Grassh. p. 36). Denique mea quidem sententia iniquum esset, si defuncti consobrinorum nepotes, pronepotes cett. praeferrentur fratribus et sororibus uterinis.

probare plane omisisset. Qua re neglecta omnis orationis XXXXIII. argumentatio concidit. Vituperandus videtur praeterea orator, quod Theopompum ex Stratii (I) domo, non ex Buseli proavi familia esse dicit, nec minus propterea, quod distinctis verbis Hagniam (I) non significavit. Ex argumentatione autem, quae genere nititur, satis elucet. Theopompum non esse ex Hagniae (I) domo, id quod eum, ut Hagniae (II) hereditatem adipisceretur, mentitum esse verba XXXXIII. quoque orationis docent: *προσποιούμενος τοῦ αὐτοῦ οἴκου εἶναι Ἁγνίᾳ* (sc. II), *ὁ οὐδεπώποτε γενόμενος* (§§ 29 cll. §§ 28, 33, 41, 47, 48, 59, 83). Nec tamen hoc dilucidis verbis testimoniorum §§ 36 et 37 allatorum probare oblitus est (*ἀκούειν τοῦ πατρὸς τοῦ ἑαυτῶν ὅτι Πολέμωνι ἀδελφὸς οὐδεὶς γένοιτο πώποτε* cett.).

Haec habui, quae dicerem de comprobatione ex genere petita, quae est in successione ab intestato maximi momenti. Sequitur, ut quaeramus, num quae alia etiam orator excogitaverit, quibus Theopompum nullo iure Hagniae (II) bona petivisse ostendat. Atque primum quidem tribus eum videbis utentem argumentis, quae plane eisdem vitiis laborant. Absurdum enim esse dicit Macartatum Hagniae (II) bona possidere, primum, cum non Theopompus, sed Sositheus Phylomachen (II), virginem heredem et ex Hagniae (II) consobrino filiam, petiverit (§§ 55—56 cl. § 74), tum, cum non Macartati matri, sed Phylomachae (II) licuerit et domum funebrem adire et funus ad sepulcrum prosequi (§§ 64—65), denique, cum non Macartati pater et avus, sed omnes ceteri a Buselo orti monumento Buselidarum utantur (§§ 79—80). Apparet oratorem non meminisse sibi demonstrandum esse, quatenus Macartato ius sit in Hagniae (II) bona, nec vero in Phylomachen (II), vel in funus defuncti, vel in monumentum Buselidarum. Est etiam manifestum eum oblivisci non litigari inter Theopompum et Sositheum, vel inter Macartati matrem et Phylomachen (II), vel inter Macartati patrem et avum et ceteros Buselidas. Huc accedit, quod nullo testimonio demonstratur Theopompum Phylomachen (II) iudicio non petivisse et Macartati patrem et avum in alio atque Buselidarum sepulcro sitos esse.

Nihil porro tribues verbis §§ 76—77 allatis, quibus orator convenire negat Macartatum bona possidere, cum nomen eius neque in

Hagniae (I) neque in Stratii (I) familiis inveniatur, sed is illud habeat a materna familia.

Postremo scriptor evicturus est Theopompum ipsum sibi conscium fuisse Hagniae (II) hereditatem nihil ad se pertinere. Primum enim negat eum illo tempore, quo Glauco et Glaucone falsorum testamentorum convictis cum Phylomache (II) litigare licuit, Hagniae (II) bona petivisse (§ 5). Quae res nullo probatur testimonio. Tum dicit Theopompum lite obtenta olivas in Hagniae (II) fundis excidisse (§ 69). Quae verba nullius esse momenti, nemo non videt.

Quibus de probatione orationis XXXXIII. expositis quaerendum videtur, qua ratione orator ea, quae adversarium ad comprobationem diluendam aut infirmandam prolaturum esse praevidet, reiciat. Et primum quidem Macartatum iudices admoniturum esse existimat hereditatem Theopompo patri in iudicio concessam esse (§ 33). Contra haec dicit: primum Phylomachen (II) prius, quam Theopompum, litem obtinuisse (§ 33a), deinde Phylomachen (II) iuste hereditatem evicisse (§ 33b), tum Eubulidem (III) a nullo adhuc in iudicicio victum esse (§ 34a), denique nunc esse litem inter Eubulidem (III) et Macartatum (§ 34b). Quod orator dixit, Phylomachen (II) iuste, Theopompum autem, cum non fuisset ex Hagniae (I) domo, iudices decipientem Hagniae (II) bonis potitum esse, id verum esse eum comprobavisse docui; quae praeterea ad adversarium refellendum contendit, ea nihil esse nisi verba inania quisque facile intelleget. Tum Macartatum aegre laturum esse arbitratur, quod patre mortuo in iudicium arcessitus sit (§ 60). Quod scriptor orationis, ut haec reiciat, dicit, Theopompum quidem obiisse, non leges (§ 60), id omni sensu carere non contenderim; quod monet, non id in iudicio agi, uter prior aut posterior mortuus sit, sed num liceat eis, qui cognatione remotiores ab Hagnia (II) sunt, eicere ex eius domo eos, qui propiores sunt (§ 61), id prorsus nihil ad adversarium refutandum valere perspicuum est. Denique Macartatum iure obicere posse negat se iam diu bona a patre relicta possidere, cum gratia potius ei sit habenda, quod tam diu aliena iniuste tenuit (§ 67).

His de argumentatione or. XXXXIII. ad finem perductis iam disseramus

3. De argumentatione orationis XXXXVIII[1].

Oratione XXXXVIII. Callistratus[2]) dimidium eorum bonorum Cononis, quae φανερά erant[3]), i. e. dimidium et domorum servorumque (§ 12) et septuaginta drachmarum, quas Moschion servus Cononi furatus esse convictus erat (§ 18), sibi paraturus est[4]). Litigat autem cum Olympiodoro, qui totam hereditatem Cononis in iudicio sibi acquisiverat. Sed antea, quam quaeramus, quo iure actorem dimidium bonorum petere orator ostendat, enarremus necesse est, quem ad modum ea Olympiodorus adeptus sit. Conone mortuo Callistratus et Olympiodorus ex pactione, quam inierant (§§ 7 proxx.), illius domus, servos, sexcentas drachmas, quas Moschionem servum Cononi vivo clam eripuisse coarguerant, inter se diviserant (§§ 12, 16—17). Brevi autem post Olympiodorus pactum violavit; nam et Callistrato inscio Moschioni alias septuaginta minas extorsit (§ 18) et illi dimidinm huius pecuniae tradere recusavit (§§ 19 et 20). Eodem tempore Callistratus et Olympiodorus de Cononis hereditate in iudicium vocati sunt (§§ 20 et 21), in quo ne vincerentur, statuerunt, ut alter totam hereditatem, alter dimidium eius peteret (§ 22). Tamen adversariis Cononis bona (septuaginta illis minis exceptis (§ 34)) adiudicata sunt (§§ 26 proxx.). Quae ut eis rursus eriperentur, tertium pacti sunt, ut in eos Olympiodorus de tota hereditate, Callistratus autem de dimidio Cononis bonorum litem intenderet et is, qui litem obtinuisset, alteri dimidium concederet (§§ 29—30). Insidiis usi effecerunt, ut iudices Olympiodoro totam hereditatem adiudicarent (§§ 31 proxx.). Qui cum omnia bona retineret, a Callistrato

---

[1]) Ubique orationem XXXXVIII. tractabo post XXXV. et XXXXIII., quo facilius, quanta similitudo intercedat inter has tres orationes, cognosci possit.

[2]) id actoris nomen fuisse Libanius memoriae tradidit.

[3]) A. Philippi in diss., qu. i. Symbolae ad doctrinam iuris attici de syngraphis et de οὐσίας notione, Lips. 1871, p. 14 haec: „Proprio sensu φανερά dicuntur, quae quis ita possideat, ut se possidere negare nequeat."

[4]) Causam or. XXXXVIII. tractaverunt hi: Liban. in arg. hui. or., A. Schaefer. l. l. pagg. 236 proxx., Darest. l. l. II. pagg. 1 proxx., Blassius l. l. pagg. 497 proxx.

in iudicium vocatus est. In quo ut actor id, quod voluit, impetraret, tertia potissimum pactione orator sine dubio niti debuit, non prima, ex qua Callistrato dimidium hereditatis petere licere putavit (cf. § 32 (cll. §§ 7 proxx.): ἔχει αὐτὸς ἅπαντα, ὁμωμοκὼς καὶ συνθήκας πρός με ποιησάμενος ἦ μὴν ἰσομοιρήσειν. καὶ αἱ συνθῆκαι αὗται ἔτι καὶ νῦν κεῖνται παρὰ τῷ Ἀνδροκλείδῃ). Hac enim statuerunt Callistratus et Olympiodorus, ut Cononis bona statim post mortem eius, non posthac semper, inter se partirentur, id quod etiam factum est; illa autem de bonis post litem obtentam dividendis statutum est. Quid erat etiam, cur actor, si primum pactum in perpetuum valere censebat, tertium pactum cum adversario de hereditate dividenda iniret? Nec tertiam pactionem initam esse testimonio confirmatur. Primus contractus qui sit, Androclis testimonio (§ 11 cl. § 32) demonstrari concedendum videtur esse. Tamen duae sunt causae, cur iudices censeam prohibitos esse, quominus actori, quod attinet ad 70 illas minas, obsecundarent: prima est, quod orator nunquam Olympiodorum eam possidere demonstrat; nam quod § 35 dicit: καὶ λόγῳ ἀκηκόατε καὶ μεμαρτύρηται ὑμῖν, καὶ ὡς οὗτος τὸ ἀργύριον ἔλαβε παρὰ τοῦ ἀνθρώπου τοῦ οἰκέτου, id mentitur[1]); altera, quod adversarium obicientem sibi septuaginta illas minas non esse et Moschionem suum esse servum (§ 37) refutare ne conatur quidem.

Quae porro Olympiodorus obiecerat, Callistratum pactionem violasse, sibi iniurias intulisse omnique ratione adversari (§ 38), ea orator ita sibi videtur reicere posse, ut primum dicat Olympiodorum propterea rem cognatis et familiaribus ut arbitris diiudicandam permittere noluisse, quod metuerit, ne ab illis mendacii convinceretur, nunc fortasse putare se in iudicio mentientem non deprehensum iri (§ 40). Quibus verbis orator sine dubio dicere voluit cognatos et familiares certo scire Olympiodorum illa mentiri. Tum, ne actor adversario contraria egisse videatur, scriptor or. XXXXVIII. contendit eum una cum Olympiodoro sumptus fecisse, adversario absente et lite amissa actione destitisse, tacuisse, cum Olympiodorus mentiretur se Callistrato et dimidium sexcentarum illarum drachmarum mutuum dedisse et aedes suas locasse (§§ 41—46). Frustra hic quaeres testimonium. Illud quoque argumen-

[1]) Nisi fortasse refers haec verba ad πρόκλησιν § 34 allatam.

tatum, quo orator, ut Callistratum tacuisse evincat, utitur, eum ab adversario non falsorum testimoniorum accusatum esse, infirmum est non per se solum, sed etiam, quod testimonium desideratur. Denique contendit debuisse Olympiodorum pactionem apud Androclidem depositam ut a Callistrato neglectam multis testibus accitis irritam reddere (§ 46). Cui rei, quae testimonio confirmatur (§ 47), nihil est tribuendum, quod ad primum pactum, quod in causa or. XXXXVIII. nullius momenti esse dixi, spectat quodque Olympiodorus iam eo, quod pactionem plane neglexit, satis se quidquam sibi cum eo esse nolle ostendit. Obiecerat denique, ut supra dixi, adversarius se Callistrato alteram domuum a Conone relictarum locavisse et 300 drachmas servo extortas mutuas dedisse (§§ 44—45). Hoc verum esse orator negat, quod actor nunquam ab Olympiodoro neque locarii non soluti neque de argento postulatus sit (§ 45). Etiam hic testimonia desideras.

Verum haec hactenus de argumentatione orationis XXXXVIII.

Iam ut, quae de orationibus XXXV. XXXXIII. XXXXVIII. indagavimus, complectamur, haec statuemus: in nulla earum ea res, in qua totam causam positam esse ostendisse nobis videmur, probatur: in oratione XXXV. frustra quaeruntur et testimonium, quo adversarium Artemonis fratris hereditatem accepisse demonstratur, et verba, quibus Lacritum mercatorem esse et cum actore contractum fecisse contenditur; simili modo scriptor orationis XXXXIII. testimoniis comprobare neglexit Eubulidem (III) re vera secundum leges Eubulidi (II) adoptatum esse, ita ut omnia, quae in reliqua oratione argumentatur, concidant necesse sit; in oratione XXXXVIII. orator iniuria prima, nec vero tertia pactione nititur, ex qua sola actori partem bonorum a Conone relictorum in iudicio petere licere perspicuum videtur. Paucissima in his tribus orationibus probabilibus argumentis confirmantur, veluti in or. XXXV. Lacritum navem naufragio interiisse mentitum esse, in or. XXXXIII. Eubulidem (III) adoptione probata cognatione Hagniae (II) propiorem esse, quam Theopompum. Argumenta, quae afferuntur, partim nituntur rebus extra causas positis, partim prorsus inepta et nihil nisi inania verba sunt. Accedit, quod saepissime testimonia desiderantur.

Progrediamur ad

4. Argumentationem orationis XXXXVI. examinandam[1]).

Scriptor or. XXXXVI. Stephanum, qui hoc renuntiaverat testimonium: *Στέφανος — [μαρτυρεῖ] παρεῖναι πρὸς τῷ διαιτητῇ —, ὅτε προὐκαλεῖτο Φορμίων Ἀπολλόδωρον, εἰ μή φησιν ἀντίγραφα εἶναι τῶν διαθηκῶν τῶν Πασίωνος τὸ γραμματεῖον, ὃ ἐνεβάλετο Φορμίων εἰς τὸν ἐχῖνον, ἀνοίγειν τὰς διαθήκας τὰς Πασίωνος, ἃς παρείχετο πρὸς τὸν διαιτητὴν Ἀμφίας —, Ἀπολλόδωρον δὲ οὐκ ἐθέλειν ἀνοίγειν, εἶναι δὲ τὰ ἀντίγραφα τῶν διαθηκῶν τῶν Πασίωνος*[2]), falsi testimonii obnoxium esse contendit, quod ei, si nihil de testamento Pasionis testari voluisset, dicendum fuisset: [*μαρτυρεῖ*] *παρεῖναι πρὸς τῷ διαιτητῇ —, ὅτε προὐκαλεῖτο Φορμίων Ἀπολλόδωρον ἀνοίγειν τὸ γραμματεῖον, ὃ παρεῖχεν Ἀμφίας —, Ἀπολλόδωρον δ' οὐκ ἐθέλειν ἀνοίγειν* (§ 5). Ut omittam Stephanum, si talia dixisset, prorsus inepta minimeque cum verbis testamenti, quae adscripsi, congruentia testaturum fuisse, illa verba, quae sunt de Pasionis testamento (*τῶν διαθηκῶν τῶν Πασίωνος; τὰς διαθήκας τὰς Πασίωνος; εἶναι δὲ τὰ ἀντίγραφα τῶν διαθηκῶν τῶν Πασίωνος*), Stephanus a Phormione coram arbitro dicta, a se autem in testimonio de provocatione repetita accipienda esse voluit. Quod primum elucet ex paragraphis 43—46 orationis XXXXV., tum mea quidem sententia ex verbis orationis nostrae, quae exstant § 6: *Ἀλλὰ μὴν εἰ φησὶ Φορμίωνος λέγοντος πιστεύειν ταῦτ' ἀληθῆ εἶναι.* Sed longe aliter orator ea, quae Stephanus obiecerat, accipit. Contendit enim fassum eum esse se Phormioni fidem habentem de testamento testificatum esse (§§ 6—8). Et recte quidem, ut Demosthenes ipse (XXXXV. 23. *ταῦτα ὡς ἀντίγραφά ἐστιν ἐκείνων μεμαρτυρηκότες*). Apollodori igitur adversarius plane contraria eis contendit, quae antea negaverat, se illas tabulas exemplar testamenti Pasionis fuisse omnino testatum esse (§§ 4—5 cl. XXXXV. 43), et aperte confessus est se

[1]) Vide C. D. Beels. Diatribe in Demosthenis orationes I. et II. in Stephanum, Lugd. Bat. 1826, A. Schaefer. l. l. pagg. 170 proxx., Lortzingii diss. l. pagg. 82 proxx., Darest. l. l. II. pagg. 293 proxx., Blass. l. l. pagg. 472 proxx., S. Schaffneri diss., qu. i. De tertia adv. Aphobum oratione vulgo Demosthenis nomini addicta, Lips. 1876, pagg. 8—10. Cf. Dindorf. ed. Oxon. vol. VII. pagg. 1226 proxx.

[2]) XXXXV. 8.

testem quidem fuisse de testamento, nec tamen quidquam certi de eo scire, ut iudicibus suspicionem testamentum Pasionis fictum esse moveret[1]). Recte igitur se habent verba, quibus exponitur Stephanum, cum ex Phormione vivo audita pro testimonio dixerit, contra legem testatum et iam ob id ipsum falsi testimonii convictum esse (§§ 6—8, 10); otiosa autem habebis verba oratoris — cuius est probare Stephanum falsi testimonii obnoxium esse —, quibus contendit Phormionem, cum Stephano ex eo audita testato sibi ipsi testis fuerit, leges violavisse (§§ 9—10). Vitiosum est etiam, quod lex, quam § 10 recitari iubet, nihil aliud nisi adversariorum alterum alteri testari vetat[2]).

Ut iudicibus persuadeatur Apollodorum neque a Phormione provocatum esse, ut Pasionis testamentum aperiret, neque id aperire noluisse, eo spectant verba, quae leguntur § 11, tabulas, in quibus Stephani testimonium scriptum sit, albatas concinnatasque esse, qualibus testimonia domi confecta inscribi soleant, non ceratas, qualibus testimonia de provocationibus inscribi conveniat. Porro auctor orationis XXXXVI. Pasionem legibus testamentum condere vetitum fuisse demonstrare studet (§§ 12 proxx.). Quod si revera comprobavisset, nihil ostendisset aliud, quam testamentum patris actoris irritum esse. Phormionem igitur petivit eamque ob causam argumenta, quae attulit, otiosa habenda sunt[3]). Verisimile certe reddidisset Pasionem nullum testamentum fecisse, si eum talem fuisse hominem docuisset, qui leges neglecturus non fuisset. Primum autem credendum esse negat Pasionem Phormioni, cum ignoraret eum fore Atheniensem, legibus despectis uxorem suam (mulierem Atheniensem) testamento reliquisse (§ 13). Duas hic desiderabis res: et legem, ex qua manifestum fiat Pasioni non licuisse Phormioni, cum nondum civis esset, uxorem testamento dare[4]), et testimonium, quo uxorem Pasionis civem Atheniensem fuisse confirmetur. Valde ego vereor, ut oratori testimonium suppeditarit. Neque enim ullum invenitur indicium in ceteris orationibus, quo Archippen

[1]) Cf. Lortzing. l. l. p. 79.

[2]) Cf. Blass. l. l. p. 474.

[3]) Recte A. Schaef. p. 174: „nunmehr wendet er sich wiederum gegen Phormion."

[4]) Cf. LIX. 17, A. Schaef. p. 176 not. 4, Lortz. p. 85.

civem fuisse probetur; contrarium potius, eam fuisse peregrinam, concluseris et ex verbis § 23 et inde, quod Pasioni, qui antea servus fuit, vix civem Atheniensem in matrimonium ducere contigit[1]). Tum Apollodori patrem testari vetitum fuisse, ita est ostensurus, ut legem afferat, quae eos solos testari sinit, qui liberos genuinos non habent, quique non, ut Pasio (§ 15), cives adsciti sunt (§§ 14—15)[2]). Similiter auctor or. XXXXVI. § 24 nititur lege, quae patris testamentum ratum esse iubet, si liberi, priusquam per biennium puberes fuerint, mortui erunt. Certe autem orator verba captat, cum hominis sanae mentis esse negat *τῷ τὴν τέχνην μὴ ἐξουσίαν δόντι ἐν τῷ αὐτῷ ἡμῖν ἐργάζεσθαι, τούτῳ τὴν γυναῖκα δοῦναι τὴν ἑαυτοῦ καὶ τῶν παίδων ἐᾶσαι κοινωνὸν αὐτῷ γενέσθαι* (§§ 16 et 17). Fac enim ex hoc conici posse — id quod non crediderim — Pasionem testantem mentis impotem fuisse, tamen nihil sequeretur, nisi testamentum irritum esse[3]).

Porro contendit Phormionem, quamquam Pasionis uxor ut mulier heres (§§ 18—19) in Apollodori potestate fuerit (§ 20), tamen eam Apollodoro absente (§ 21) in matrimonium duxisse, cum eam secundum leges iudicio petere oportuerit (§ 22). Haec nihili aestimanda sunt, quod orator Apollodorum non fecit testimoniis probantem matrem fuisse epiclerum, sed negantem tantum adversarios contrarium affirmasse, quodque, quae dixit, maximam partem extra causam dicta sunt.

Postremo verisimile esse negat Pasionem duo testamenti exempla reliquisse (§ 28). Quod eum fecisse adversarii omnino non contenderunt. Unum testamenti exemplar Pasio confecit, ex quo adversarii antigraphum exscripserant[4]).

---

[1]) Cf. A. Schaef. p. 176. Excusabis tamen Apollodorum, si eum putavisse credes Archippen matrem marito cive adscito civem Atheniensem factam esse. Cf. Meieri Historiae iuris attici de bonis damnatorum et fiscalium debitorum pagg. 59—60.

[2]) Assentior Meiero qui in Histor. iur. att. de bon. damn. p. 61: „— haec lex“, inquit, „tota ficta est ab Apollodoro, qui quod legislator de filiis adoptatis (*ποιητοῖς*) iusserat, quibus illam (sc. testamenti faciendi potestatem) non datam fuisse aliunde constat, callide ad cives novos, qui et ipsi *ποιητοί* vocantur, transtulit, quod hoc e re sua erat.“

[3]) Repugnant haec etiam eis, quae in aliis orationibus Apollodoreis de Pasione proferuntur, veluti XXXXIX. 42. Cf. A. Schaefer. p. 176, Lortz. p. 84.

[4]) Cf. A. Schaefer. l. l. pagg. 170 et 176, Lortzing. l. l. p. 85.

Ex his, quae de oratione XXXXVI. disputavimus, satis elucere puto auctorem eius, ut propositam rem demonstraret, magna astutia atque calliditate argumenta excogitavisse; tam argutum se praestitit, ut audientium admirationem excitavisse videatur[1]); neque tamen accurate legentem sophismatis eius falli posse Rehdantzius recte dixit[2]).

Iam nunc agendum est

5. De argumentatione orationis XXXXVII.

Actor, qui hanc orationem sibi conscribendam curavit, in *αἰκίας* actione[3]), quam contra Theophemum intenderat, *παραγραφῇ* et *ὑπωμοσίᾳ* (§ 45) interpositis ab adversario in iudicio condemnatus erat, primum, quod Euergus et Mnesibulus testes fuerant, actorem mulierem, quam Theophemus se in alio conventu (§§ 6, 13, 14) ad cruciatum traditurum esse apud arbitrum promisisset, neque recipere neque rem differri voluisse (§§ 6, 13, 5), tum, quia iudices actori succensuerant, quod pignora capturus ad aedes Theophemi venisset (§ 79)[4]), Theophemo autem benevoli fuerant (§§ 46. *προσποιούμενος ἄκακος εἶναι*, 82. *Εἰ δέ τις ἀγνοήσας αὐτοὺς τότε ἀκάκους ἡγήσατο καὶ ἀπράγμονας εἶναι*). Cum vero orator in prima parte orationis Euergum et Mnesibulum falsi testimonii coarguere studeat (§§ 6—17), in altera autem omnes rixas, quae actori cum Theophemo erant, fusius enarret (§§ 18—78), sine dubio, ut iudices reo irascantur (§ 79), maxime propterea, quod in actoris aedes invaserat (§ 79), actori autem faveant (§§ 44, 81), cumque § 48 dicat: *διπλῆν οὖν αὐτοὺς* (i. e. Theophemum) *δεῖ δίκην δοῦναι, ὅτι τε ἐξηπάτησαν τοὺς δικαστὰς ψευδεῖς μαρτυρίας παρασχόμενοι, κηδεστοῦ καὶ ἀδελφοῦ, καὶ ὅτι ἐμὲ ἠδίκησαν,* non dubitarim, quin hac nostra oratione causa *αἰκίας* ab actore in Theophemum instituta agatur eaque actor efficere velit, ut adversarius *αἰκίας*

---

1) § 17: *εἶτα δὲ οὐδὲ ἐδόκουν ἐμὲ οὕτω δεινὸν ἔσεσθαι ὥστε ταῦτα ἀκριβῶς ἐξετάσαι.*

2) In vit. Iphicr. Chabr. Timoth. Atheniensium, Berol. 1845, p. 192.

3) De or. XXXXVII. disseruerunt Liban. in argum., A. Schaefer l. l. pagg. 193 proxx., Darest. l. l. I, pagg. 353 proxx., Blass. l. l. pagg. 484 proxx.; cf. etiam Schaffneri diss. l. pagg. 11—12.

4) Cf. Blass. l. l. p. 485 init.

condemnetur[1]). Ex quo sequitur ea, quae inde a § 18 ab oratore proferuntur, non extra causam posita esse.

Iam quaerendum est primo loco, quem ad modum orator Euergum et Mnesibulum falsi testimonii convinci posse censeat. Primum quidem testimoniis probat Theophemum nunquam mulierem ad tormenta exhibuisse (§§ 5—7, 9—11, 17 proxx.), actorem autem ad eam recipiendam semper paratum fuisse (ibid.). Quod praeterea Euergus et Mnesibulus testificati erant, actorem tormenta mulieris in alium conventum differri noluisse, hac de re orator inania fecit verba (cf. §§ 13 et 14). Tum negat Theophemum illos testes, qui testati erant actorem mulierem recipere voluisse, falsi testimonii arguisse (§ 5). Deinde argumento utitur hoc: si vera testati essent Euergus et Mnesibulus, non duo tantummodo testes, affinis et frater Theophemi, adhibiti essent, sed alii multi; multos enim adesse solere in provocationibus, *ὅταν τις τὸ σῶμα παραδιδῷ κομίσας* (§§ 11 et 12). Verba adscripta certe scriptor or. XXXXVII. speravit iudices non attenturos esse. Sycophantiae igitur eum insimularis. Tum Theophemum mulierem omnino tradere noluisse inde colligi posse dicit, quod eam, quamquam eius dominus erat, in arbitrium non adduxit (§§ 14—15). Recte se haec habere videntur. Ad extremum contendit Theophemum pignora actori erepta reddere noluisse, nisi antea testes falsi testimonii absolverentur (§ 64); quod eum effecturum fuisse ex ipsius eiusque sociorum factis conici posse (§§ 74—77).

Altero loco videamus, quid iudicandum sit de ea parte orationis, in qua, quas inimicitias actor cum Theophemo exercuerit, ab oratore exponitur, eo quidem consilio, ut non ille, sed hic iniurius videatur esse

[1]) Novum mihi attulisse videor argumentum, quo sententia a Schoemanno (att. Process p. 653) prolata comprobetur: causam *αἰκίας* etiam *ἀντιγραφῇ* a reo intenta et obtenta non tolli; viro doctissimo assensus est etiam Schaffnerus l. l. pagg. 11—12, nixus verbis cum §§ 8 et 10, tum § 46: *δέομαι δ' ὑμῶν δικαίαν δέησιν, ἅμα μὲν δικάσαι περὶ τῆς μαρτυρίας, ἅμα δὲ περὶ τοῦ πράγματος ἐξ ἀρχῆς σκέψασθαι.* Conferas velim etiam verba § 1: *καλῶς μοι δοκοῦσιν οἱ νόμοι ἔχειν, ὦ ἄ. δ., οἱ ὑπόλοιπον ἀγῶνα ἀποδιδόντες ταῖς δίκαις τῶν ψευδομαρτυριῶν* et quae ex § 48 adscripsi. Aliam sententiam posuerunt A. Schaefer. p. 196 et Schulz. l. l. pagg. 20—21.

(§§ 20—82). Ut iudices persuasum habeant actorem legibus oboedientem Theophemum cogere studuisse, ut armamenta traderet, orator testimoniis, legibus, decretis adhibitis narrat, quibus legibus et decretis ille coactus sit, ut armamenta a Theophemo exigeret (§§ 20—25). Addit adversarium citatum et condemnatum armamenta retinuisse (§§ 26—32), actorem decreto facto, ut, quocunque modo possent, armamenta exigerentur, pignus eorum capturum a Theophemo verberibus affectum esse (§§ 33—40), hunc postea ἐν τῷ βουλευτηρίῳ condemnatum quidem esse (§§ 41—44a), litem αἰκίας autem, quam ei actor intenderat, paragraphe et hypomosia institutis obtinuisse (§§ 45—48a). Ne iniqui quidquam actor commisisse videatur, orator testimoniis confirmat alios etiam, non hunc solum, armamenta rei publicae debita exegisse (48b). Ut appareat, quam nefarius homo et improbus Theophemus sit, testimoniis probatur eum actori ante constitutam diem, qua pecuniam, qua in lite αἰκίας multatus erat, solvere debebat, oves, mancipia, vasa eripuisse eiusque nutricem Euergo, Theophemi fratre, iuvante tam vehementer verberasse et iugulasse, ut paulo post animam efflaret (§§ 49—61, 67, 68), multosque alios ab eo eiusque sociis summis iniuriis affectos esse (§ 82). Ne quis miretur, quod actor mulieris illius tam male tractatae caedem non persecutus sit, scriptor orationis accurate, cur is hoc non fecerit (§§ 68—73) exponit; pertinent igitur, quae his paragraphis enarrantur, ad causam αἰκίας. Idem dici potest de eis, quae §§ 62—66 proferuntur: Euergum actore multam solvente denuo in huius aedes ingressum esse.

His de argumentatione orationis XXXXVII. expositis iam in quaestionem vocemus

6. Argumentationem orationis XXXXIX.

Hac oratione Apollodorus iudicibus persuadere vult Timotheum sibi, Pasionis heredi, $43^{m.}$ $38^{d.}$ 2° debere[1]). Quod eum consecuturum esse scriptor orationis sperat

[1]) Videas F. C. Rumpfii d., qu. i. De oratione adv. Timotheum imperatorem quae a Demosthene scripta fertur, Giessae 1821, Rehdantz. l. l. (de vit. Iphicr. cett.), A. Schaefer. l. l. pagg. 137 proxx., Lortzing. l. l. pagg. 9 et 41, Darest. l. l. II. pagg. 204 proxx., Blass. l. l. pagg.

1) testimoniis *τῶν δόντων τὸ ἀργύριον, οἷς οὗτος ἐκέλευσεν, ἀπὸ τῆς τραπέζης καὶ ἐπικαθημένων* (§ 33 cll. §§ 18, 42, 43, 44) § 33 prolatis, quibus nihil aliud confirmari potuit, quam illam pecuniam eis, quibus Timotheus iussit, solutam esse eumque ex Pasionis voluntate debitorem inscriptum esse.

2) iure iurando, quod Apollodorum obtulisse orator §§ 42 et 65 dicit, quo actorem ea potissimum, quorum vix Phormio ceterique numularii testes esse potuerunt, veluti Timotheum Pasionem sibi pecuniam mutuari iussisse, probaturum fuisse putaverim.

3) Pasiclis, Apollodori fratris, testimonio, quo Pasionem morientem filios, quid sibi deberetur, docuisse demonstratur (§ 42), quodque levioris momenti esse inde sequitur, quod Pasicles patre obeunte modo sui iuris factus erat[1]).

4) Antiphanis testimonio, quod Apollodorus se praebiturum esse pollicetur (§§ 18—21), ut evincatur Timotheum ab eo in Calauria 1000 dr. mutuatum esse et hanc pecuniam Philippum a Pasione accepisse.

5) Timosthenis testimonio, quo probatur huic pro duabus phialis, quas in Pasionis argentaria deposuerat quaeque Timotheo fortuito traditae erant, 237 dr. a Pasione numeratas esse (§ 33 cll. §§ 31, 32, 62—64).

6) Testimonio ipsius adversarii, quo hunc concessisse confirmatur ligna a Philonda convecta ut sua in suas aedes perlata esse (§ 33 cl. § 34).

7) tribus argumentis: Pasionem ligna, si Philondae, non Timothei, fuissent, non passurum fuisse ex portu vehi (§§ 35 et 36), Timotheum illis lignis ad aedes suas aedificandas usum esse (§ 36), neminem testari ausum esse Philondam Timotheo absente naulum lignorum non accepisse vel alium quendam hoc pependisse (§§ 37—41).

Magnam partem orationis XXXXIX. explet refutatio adversarii. Qui primum contenderat 1351 dr. 2 o. non se, sed Antimachum, quaestorem suum, a Pasione mutuatum esse (§ 44. *ἰδίᾳ ἔφη δανεῖσαι τὸν πατέρα Ἀντιμάχῳ καὶ οὐκ αὐτὸς λαβεῖν*). Haec vera esse orator negat, quod

---

463 proxx. Cf. etiam A. Philippi: Ueber die Demosthenische Rede gegen Timotheus (in annal. phil. et paed. vol. 93 pagg. 611—629).

[1]) Cf. Lortz. p. 42, Blass. p. 465.

nullum adversarius testimonium huius rei attulit (§ 45) et quod Pasio, si re vera Antimachus illud argentum debuisset, ex eius bonis publicatis debitum recepisset, praesertim cum hoc facillime fieri potuisset (§§ 45—47). Secundo loco Timotheum obiecisse videbis 1000 dr. non sibi, sed praefecto classis boeoticae mutuas datas esse (§§ 48, 21, 54). Quod ut falsum esse perspicuum fiat, auctor orationis nostrae primum monet non praefecti, sed Timothei fuisse classi Boeoticae victum praebere (§ 49. *προσῆκε γὰρ τῷ μὲν Βοιωτίῳ ἄρχοντι παρὰ τούτου τὴν τροφὴν τοῖς ἐν ταῖς ναυσὶ λαμβάνειν*); qua de causa primum Timotheum ipsum in Calauria, nec vero praefectum classis, illam summam mutuatum esse (§ 49), deinde Philippum, a cuius quaestore adversarius 1000 dr. mutuas acceperat, has Athenis a Timotheo, nec vero a praefecto classis repetivisse (§§ 16, 49), tum Timotheum pecuniam, non praefectum, Philippo reddidisse (§ 49) denique Timotheum, non praefectum, Athenis in magnum periculum venisse et in ius vocatum esse (§ 50). Tum negat Pasionem tam familiariter coniunctum fuisse cum praefecto illo, ut ei 1000 dr. mutuas daret (§ 50).

Tertio loco Timotheus dixerat nauarchum Boeotium pro mille illis drachmis Pasioni aes oppigneravisse (§§ 48, 51, 54). Haec falso ab adversario obiecta esse verisimile orator arbitratur esse et quod nihil certi de aere oppignerato a reo prolatum sit (§§ 51—52) et quod incredibile videatur esse praefectum classis Boeoticae Pasioni, nec vero Philippo, cui eum mille drachmas debuisse Timotheus affirmaverat, aes oppigneravisse (§ 53).

Denique Aeschrionem servum duas phialas et unam minam accepisse omnino negaverat. Contrarium verum esse inde orator apparere censet, quod Timotheus Aeschrionis nec ut liberi nec ut servi testimonium exhibuit (§§ 55—58).

Praeter haec, quae Timotheus obiecerat, unum eum obiecturum esse orator suspicatur, se illo tempore, cum sibi naulum lignorum et pretium phialarum expensum latum sit, apud regem Persarum abfuisse (§§ 59—61, 62—64). Quae ut reiciantur, scriptor orationis XXXXIX. nihil aliud proferre potest, quam reum nauli et phialarum pretii debiturem illo tempore inscriptum esse, quo Pasio argentum solvit. Debuit

sine dubio monere, id quod etiam potuit, naulum iussu Timothei datum esse; neque vero probare potuit ex huius voluntate pretium phialarum Timostheni solutum eiusque debitorem Timotheum scriptum esse[1]); etenim adversarium obiecturum fuisse vides a se Pasionem et Apollodorum repetere debuisse phialas ipsas, non pretium earum. Hoc enim Timotheum dicturum fuisse, nec id, quod orator contendit verbis, quae exstant § 64. *Ἀλλὰ νὴ Δία, φήσει ἴσως, ἔδει τὸν πατέρα τὸν ἐμὸν ἀπαιτεῖν αὐτὸν τὰς φιάλας*, luce clarius videtur esse. Verius locutus esset, si pro *αὐτόν* dixisset *αὐτάς*. Nonne etiam hoc loco aperte sycophantae vestigia deprehenduntur?[2]) Tres autem causas esse orator dicit, cur Pasio phialas non repetiverit: primam, quod Timotheum magna inopia premi viderit, alteram, quod non fuerit, cur debitori, cum ei de cetero aere alieno fidem haberet, de phialis diffideret, i. e., quod nihil fuerit, cur non reliqua debita, sed phialas solas reposceret (§ 64). Intellegis omnia haec verba omnino non spectare ad ea, quae Timotheus obiecerat.

Ad extremum orator iudices docet, cur Apollodorus Timotheo ius iurandum non detulerit: eum et civitatibus et hominibus fide data saepe et magnis in rebus peierasse (§§ 65—67). Hic minus testimonia desiderantur; commemorantur enim res, quae omnibus notae erant (cf. § 66).

Cave, ne me argumentationem orationis XXXXIX. tractantem contendas oblitum esse argumenti e tabulis mensariis petiti. Neque enim usquam hoc orator utitur; non ignoravisse videtur tabulis illis haud multum tribuendum esse. Quae res si aliter se haberet, certe Apollodorus eas ad arbitrum attulisset, priusquam Timotheus provocasset et afferri iussisset (§ 43), quod reum fecisse testimonio probatur (ib.). Assentior plane eis, quae A. Philippi[3]) ait: [„In unserer Rede (sc. adv. Timoth.)] wird — nicht durch die *γράμματα*, sondern hoechstens aus ihnen als der grundlage der beweis gefuehrt."

Considerata igitur orationis XXXXIX. argumentatione iam nunc agamus

---

[1]) Cf. A. Philippi l. l. p. 619 not. 15.
[2]) Cf. A. Philippi l. l. p. 619.
[3]) l. l. p. 615.

7. De argumentatione orationis L.

Apollodorus Polyclem ἐπιτριηραρχήματος actione in ius vocaverat[1]) Itaque scriptori orationis L. ante omnia demonstrandum est Polyclem, non syntrierarchum eius (§§ 37 proxx.), actoris in trierarchia successorem constitutum fuisse. Quod quamquam nusquam probatum legitur, tamen non dubitandum videtur esse, quin res ita se habeat[2]). Quid enim petivit Apollodorus Polyclem?

Narrat autem primum orator testimoniisque confirmat Polyclem neque suo tempore, ut ad munus trierarchi accederet, Athenis profectum esse (§§ 14—18) neque, cum in oram Thracicam advenisset, navem suscepisse (§§ 29—54), quamvis, ut illud et hoc faceret, saepissime et per alios et ab actore ipso (§§ 24—28, 54) admonitum, neque Apollodoro precanti pecunias dedisse (§ 55 et 56). Quo verisimilius iudicibus videatur esse reum officium suum neglexisse, in fine orationis orator addit eum etiam Euripidi collegae non successisse in navi (§ 68).

Deinde testimoniis allatis ea exponit, quae Apollodorus adversario causas, cur navem suscipere nollet, praetexenti obiecerat. Primum autem Polycles et instrumenta navalia ut nimis splendide comparata et nautas remigesque ut nimia mercede corruptos recusaverat (§§ 34—35). Quae res ne Polyclem impediret succedere, actor ei solam navem obtulerat (§ 37). Tum adversarius collegam nondum venisse contenderat (§ 37). Ad haec Apollodorus primum responderat se a Polyclis syntrierarcho impensam, quam fecisset, impetrare conaturum esse (§ 39. *ἐπειδή σοι φής, ὦ Πολύκλεις, τὸν συντριήραρχον οὐχ ἥκειν, τοῦ μὲν ἐπιτετριηραρχημένου χρόνου ἐκεῖνον ἐγὼ πράξομαι τἀνηλώματ᾽, ἂν δύνωμαι, τῶν τεττάρων μηνῶν*). At Polyclem Apollodoro successorem constitutum fuisse eamque ob causam solum in iudicium potuisse vocari supra monui. Inania igitur sunt verba, quae exscripsimus. Deinde Apollodorus obiecerat nihil esse, cur doleret, si navi a collega non suscepta octo menses (i. e. duos menses ultra legitimum tempus) munere

---

[1]) Videas, quaeso, A. Schaefer. l. l. pagg. 147 proxx., Lortzing. l. l. pagg. 10 proxx., 41 proxx., Darest. l. l. II, pagg. 232 proxx., Blass. l. l. pagg. 468 proxx.

[2]) Cf. Blass. l. l. p. 468 not. 2.

trierarchico fungeretur (§ 39). Quae verba multum valuisse apud indices vix crediderim.

In iudicio orator Polyclis refellendi causa exemplum probi trierarchi proponit: Mnesilochum quendam collega ad navem non profecto tamen ab Hagnia, cui successor datus erat, triremem accepisse, ei impensas restituisse armamentaque ab eo conduxisse (§§ 41 et 42). Quod exemplum haud inutile videtur esse.

Paragraphis 43 usque ad 52 auctor orationis accuratius exponit causas, cur Timomachus imperator adversarium ad navem accipiendam non coegerit. Quod orator eo consilio fecisse videtur, ne quis iudicum suspicaretur imperatorem iusta Polyclis causa prohibitum esse, quominus Apollodorum adiuvaret. Contendit autem primum Timomachum actoris navi optime instructa carere noluisse, deinde imperatorem persuasum habuisse Polyclem et navem susceptam minus diligenter curaturum et mercede non soluta iussis restiturum esse (§§ 43, 44, 52), tum Timomachum a Polycle pecuniam mutuatum esse, ea quidem conditione, ne ad navem suscipiendam creditorem cogeret (§ 44), denique Timomachum actori iratum fuisse, quod Callistratum exulantem Methone Thasum vehere recusaverat (§§ 45—51). Omnia, quae de Timomacho orator profert, nullo firmantur testimonio.

His de argumentatione orationis L. absolutis ad quaestionem

8. De argumentatione orationis LII.

nos vertamus.

Oratione LII. Apollodorus iudicibus persuasurus est Callippum iniuria in iudicio (§ 14) eam petere pecuniam, quam Lyco in Pasionis argentaria deposuerat[1]). In quam sibi ius esse (§ 10. ἡγοῦμαι γὰρ δίκαιος εἶναι ἔχειν), ut iudices crederent, Callippus contenderat, Lyconem Pasionem, cui ab illo ostentatus esset, iussisse eam, si quid sibi accidisset, illi solvi (§§ 20, 23 cl. § 18). Quae falsa esse ut demonstretur, orator primum narrat testimoniisque narrata fulcit Lyconem iussisse pecuniam depositam a Pasione tradi Cephisiadi, quem Archebiades et Phrasias

[1]) Adeas velim A. Schaefer. l. l. pagg. 134 proxx., Lortz. l. l. p. 43, Darest. l. l. II. pagg. 170 proxx., Blass. l. l. pagg. 455 proxx.

testes ad Pasionem adducturi fuissent (§§ 3—4, 6—7, 18—19); qua Lyconis voluntate cognita reum ipsum hereditatem aliquamdiu sibi omittendam duxisse (§§ 5—6, 19). Tum iure iurando, quod Apollodorus obtulerat, confirmat Callippum a Lycone non ad Pasionem adductum esse (§ 17). Denique adversarium a Lycone pecuniam dono accepisse veri dissimile esse dicit, quod eo familiariter non usus sit. Quae res si aliter se haberet, certe Lyco cum Megaclide quodam litigans Callippum testem advocasset (§§ 20—22) et profecturus pecuniam non apud Pasionem, sed apud reum reliquisset (§§ 23—24).

Secundo loco Callippus (quinque fere post menses, quam comperuerat pecuniam a Lycone relictam Cephisiadi solvendam esse) propterea iure se illam pecuniam petere dixerat, quod proxenus Heracleotarum esset: se ut proxenum certe Cephisiadi inquilino praeferendum, Lyconem neque liberos neque heredem domi reliquisse Argisque morientem ea, quae secum habuisset, consuli illa in urbe habitanti tradidisse (§§ 8—11). Quae quo iure Callippus contenderit, in oratione nostra non exponitur.

Tertio loco Callippus Pasionem damni actione persecutus affirmaverat eum *βλάπτειν ἑαυτὸν ἀποδιδόντα Κηφισιάδῃ τὸ ἀργύριον, ὃ κατέλιπε Λύκων ὁ Ἡρακλεώτης παρ᾽ αὐτῷ, ἄνευ αὐτοῦ ὁμολογήσαντα μὴ ἀποδώσειν* (§ 14) eumque sibi pecuniam dare voluisse (§ 18). Quae dicentem scriptor orationis LII. ita reicit, ut Apollodori patrem a Lysithide arbitro, Callippi amico, non damnatum esse iudicibus in memoriam revocet (§§ 14—15) et dicat Apollodorum iuraturum fuisse non sibi videri Pasionem id, quod reus contenderat, pollicitum esse (§ 17).

Quod porro Callippus dixerat, Pasionem coram diaeteta iurare noluisse (§ 15), id eum mentiri orator hoc modo ostensurus est: si reus vera affirmavisset, Lysithides Pasionem condemnasset (§§ 15 et 16) et Apollodorus non causam *ἀργυρίου*, sed *ἐξούλης* diceret (§ 16); praeterea testes ad adversarium refellendum arcessuntur (§ 16).

Tum orator ne Callippus recte iudicibus videatur contenturus esse Pasionem eo consilio Cephisiadi pecuniam solvisse, ut ipse quaestum faceret (§ 26), duo argumenta affert, quorum primum est, non esse verisimile Apollodori patrem homini potentissimo consulto iniuriam intulisse,

alterum, Pasionem non turpi lucro inhiasse, sed probum virum fuisse; hoc inde posse cognosci, quod multa beneficia in rem publicam contulerit quodque Callippus ipse ei ut probo homini ius iurandum obtulerit (§§ 26—27). Quod etiam Callippus dixerat, Phormionem aliquid de pecunia intervertisse (§ 29), id refutare orator neglexit.

Tum reus Archebiadem falsi testimonii arguerat (§ 28). Quem ut defendat, orator dicit neque esse, cur Archebiades in virum potentem inquilini pauperis gratia falsa testatus sit (§§ 28—29), neque illum talem esse, qui falsi testimonii accusatus peieraturus fuerit (ib.).

Arbitrio denique Lysithidis fretus Callippus Apollodorum accusaverat (§§ 30—31). Quod arbitrium propterea nihili faciendum esse orator contendit, quod ab arbitro iniurato pronuntiatum sit (ib.).

Haec mihi visa sunt dicenda esse de argumentatione orationis LII. Pauca verba licebit facere

9. De argumentatione orationis LIII.

Oratione adversus Nicostratum habita Apollodorus iniurias, quas ei Arethusius et Nicostratus intulerant, ulciscendi causa (§ 2) demonstraturus est, duos servos, sive illius sive huius sunt, rei publicae esse (§§ 26—28)[1]. Quod ut efficiat, primum quidem probare studet duos illos servos non Nicostrati, sed Arethusii esse; et recte quidem; nam Arethusii bona publicata erant (§ 26). Confirmat autem testimoniis primum Cerdonem servum iam puerum Arethusii fuisse (§ 19), deinde Arethusium Cerdone ab aliquo conducto mercedes adeptum esse et delicto a servis commisso poenam et dedisse et sumpsisse (§ 20), tum Manem servum Arethusio pro debitis ab Archepolide concessum esse (§ 20), porro Arethusium servos locantem eorum loco redemptionem stipulatum esse (§ 21), denique neque Arethusium neque Nicostratum ausos esse servos ad tormenta coram magistratu praebere (§§ 22—25).

Deinde orator paragraphis 26 et 27 illos servos, etiamsi Nicostrati essent, secundum leges reipublicae deberi: hunc enim pecuniam, qua

[1]) Cf. A. Schaefer. l. l. pagg. 143 proxx., Lortzing. l. l. pagg. 10 et 43, Darest. l. l. II, pagg. 187 proxx., Blass. l. l. pagg. 459 proxx.

Arethusius frater multatus erat, solutum iri spopondisse. At adversarium re vera illud spopondisse nullo testimonio demonstratur.

Reliquum est, ut examinemus

10. Argumentationem orationis LIX.

Actor ea a iudicibus impetraturus est, ut Neaera venumdetur, ita quidem, ut eis persuadere studeat Stephanum Neaeram, mulierem peregrinam, in matrimonio habere (§§ 13 et 16)[1]. Recte igitur orator ante omnia sibi probandum esse censet Neaeram re vera peregrinam esse. Confirmat enim testimoniis Neaeram ab initio Nicaretae (servam) fuisse (§§ 20—23), bis veniisse et corpus suum vendidisse (§§ 24—34, 108, qua § testimonia desiderantur), ut peregrinam coram polemarcho vadimonio obligatam fuisse (§ 40). At dubito, num iudices inde, quod rea scortum fuit, concluserint eam peregrinam esse, quamquam id fieri posse orator arbitratur (§ 108: *εἶτα τὴν τοιαύτην καὶ περιφανῶς ἐγνωσμένην ὑπὸ πάντων γῆς περίοδον εἰργασμένην ψηφιεῖσθε ἀστὴν εἶναι;*).

Iis, quae inde a § 50 enarrantur, primum demonstratur Stephanum Phano ut filiam suam civibus Atheniensibus in matrimonium dedisse. Deinde scriptor orationis LIX. sperat iudices iis adduci posse, ut et Neaeram peregrinam esse (cf. § 49: *βούλομαι δ' ὑμῖν καὶ αὐτὸν Στέφανον τουτονὶ ἐπιδεῖξαι καταμεμαρτυρηκότ' αὐτῆς ὡς ἔστι ξένη*) et Phano non Stephani ex uxore Atheniensi, sed Neaerae esse iudicent (cf. §§ 62—63). Etenim testimoniis probatur Phano a maritis peregrinam, i. e. Neaerae, nec vero Stephani ex cive filiam habitam esse. Narrat autem primum haec: Phrastor, civis Atheniensis, cui Stephanus Phano ut suam filiam in matrimonium dederat, uxorem, cum eam moribus meretrici similem esse animadverteret nec Stephani ex cive uxore, sed Neaerae filiam esse comperisset (§ 51), ex domo sua eiecit et Stephanum, a quo dote non reddita *δίκης σίτου* reus factus erat, in ius vocavit, quod Phano ut suam filiam elocasset. Paulo post Stephanus, cum se convictum iri intellegeret, cum Phrastore pactus est, ut uterque litem tolleret (§§ 50—54). Cum Phrastor filium, quem uxor expulsa pepererat, adoptaturus esset,

---

[1]) Vide A. Schaefer. l. l. pagg. 179 proxx., Lortz. l. l. pagg. 44 proxx., Darest. l. l. II, pagg. 309 proxx., Blass. l. l. pagg. 476 proxx.

et invitus quidem (§ 58), eum phratores et gennetae recipere noluerunt. Quibus in iudicium arcessitis Phrastor iurare noluit illum filium sibi ex uxore Atheniensi esse (§§ 55—61).

Tum orator enarrat Epaenetum quendam Stephano litem intendisse, quod ei ut moecho apud Phano (Neaerae filiam et scortum, § 67) deprehenso hic triginta minas exegerit (§§ 64—71).

Postremo inde a paragrapho 72 exponitur Theogenem regem Phano, quam pro Stephani filia in matrimonium duxerit, ut peregrinam, i. e. Neaerae filiam (§ 81), domo expulisse (§§ 72—84).

Omnia haec, quae orator ad causam probandam inde a § 50 enarravit, propterea paululum infirmari non ego, quod ex iis luculenter apparet Phano non solum, cum eiceretur, peregrinam, i. e. Neaerae filiam, sed etiam, cum in matrimonium duceretur, civem Atheniensem habitam esse. Accurate tamen demonstratum videmus Neaeram esse peregrinam. Sed Stephanum re vera Neaeram in matrimonium duxisse nunquam probâtur. In hac autem re totam causam positam esse supra diximus.

Quod praeterea orator demonstraturus erat: Phano, quam Stephanus pro sua filia in matrimonium dederit, Neaerae filiam esse (cf. § 13), Stephanum filios Neaerae ut suos ad phratores et demotas introduxisse, ad hoc spectat provocatio, de qua inde a § 120 auctor orationis agit.

ib. 65. *καὶ ποιεῖν ἅπαντα τὰ νομιζόμενα.*	ib. 6. *καὶ τἆλλα ποιεῖν τὰ νομιζόμενα.*
ib. 78. *ὁ δὲ νόμος κελεύει ὁ τοῦ Σόλωνος.*	ib. 56. *καὶ ὅπερ Σόλων ὁ νομοθέτης λέγει —;* ib. *ἐνομοθέτησεν — ὁ Σόλων.*
ib. 81. *ὅπως ὑμῖν δοκεῖ δικαιότατον εἶναι.*	ib. 48. *ὅ τι ἂν ὑμῖν δικαιότατον δοκῇ εἶναι* cll. 53, 58.

ib. 83. *νομίζειν δὴ τὸν παῖδα τοῦτον, ὦ ἄ. δ., ἱκετηρίαν ὑμῖν προκεῖσθαι.*

ib. 84. *δέομαι δὲ καὶ ὑμῶν — καὶ ἱκετεύω καὶ ἀντιβολῶ.*

XXXXVI. 4. *οὐ γὰρ ἂν εἰδείηθ' ὑμεῖς εἴτ' ἐστιν ἀληθῆ εἴτε ψευδῆ φασιν ἑκάτεροι, εἰ μή τις καὶ τοὺς μάρτυρας παρέχοιτο. ὅταν δὲ παράσχηται, τούτοις πιστεύοντες ὑποδίκοις οὖσι ψηφίζεσθε.*

ib. 15. *ἄξιον δὲ καὶ τόδε ἐνθυμηθῆναι.*

ib. 27. *Ἡδέως ἂν τοίνυν ὑμᾶς ἐροίμην.*

XXXXVII. 6. *σχεδὸν μὲν οὖν τι καὶ αὐτοί μοι ὁμολογοῦσιν ἐν τῇ μαρτυρίᾳ.*

ib. 13. *ὡς δὲ οὐκ ἀληθὲς τοῦτ' ἔστιν ἐγὼ ὑμᾶς διδάξω.*

ib. 23. *οὐδεπώποτε ἔλαβον σκεύη ἐκ τοῦ νεωρίου, ἀλλ' αὐτὸς ἰδίᾳ παρεσκεύαζον.*

ib. 44. *ὑμῶν τε δέομαι ὅσοι ἐβούλευον ἐπ' Ἀγαθοκλέους ἄρχοντος φράζειν τοῖς παρακαθημένοις.*

ib. 4. *νῦν δὲ πλείων μοι λόγος ἔσται ἐξελέγχοντι τὸν τρόπον αὐτῶν ἢ τὴν μαρτυρίαν ψευδῆ οὖσαν.*

ib. 57. *νομίσατε γὰρ ἐκείνας ἐνθάδε παρεῖναι.*

ib. 57. *ἐγὼ δ' ὑμῶν δέομαι, καὶ — ἱκετεύομεν ὑμᾶς καὶ ἀντιβολοῦμεν.*

XXXXVII. 3. *ὑμεῖς γὰρ εἰς τοὺς μάρτυρας βλέψαντες, καὶ πιστεύσαντες οἷς ἂν οὗτοι μαρτυρήσωσι, ψηφίζεσθε. ἵνα οὖν μήθ' ὑμεῖς ἐξαπατᾶσθε μήθ' οἱ εἰσιόντες εἰς ὑμᾶς ἀδικῶνται, διὰ ταῦτα αὐτοὺς ὑποδίκους ἐποίησεν ὁ νομοθέτης.*

LIX. 116. *Ἄξιον δὲ κἀκεῖνο ἐνθυμηθῆναι.*

XXXXIX. 68. *ἡδέως δ' ἂν ἔγωγε πυθοίμην*, L. 67. *Ἡδέως δ' ἂν ὑμῶν πυθοίμην.*

XXXXIX. 21. *σχεδὸν μὲν οὖν καὶ αὐτὸς οὗτος ὡμολόγει.*

ib. 21. *ὡς δ' οὐκ ἀληθῆ ἔλεγεν — ἐγὼ ὑμᾶς διδάξω.*

L. 7. *ἔτι δὲ σκεύεσιν ἰδίοις τὴν ναῦν ὅπασαν κατεσκεύασα, καὶ τῶν δημοσίων ἔλαβον οὐδέν* cll. 26, 27.[1])

ib. 3. *ὅσοι μὲν τῶν στρατιωτῶν ἐστὲ καὶ παρῆτε ἐκεῖ, αὐτοί τε ἀναμνήσθητε καὶ τοῖς παρακαθεζομένοις φράζετε.*

LII. 1. *ἀνάγκη γάρ ἐστι τῷ φεύγοντι μηκέτι περὶ τοῦ πράγματος μόνον λέγειν, ἀλλὰ καὶ περὶ αὐτοῦ τοῦ λέγοντος.*

---

1) Cf. hui. diss. p. 56.

ib. 70. *χείρων τε δόξεις πολλοῖς εἶναι.*

ib. 45. *ἡγούμενος οὐκ εἶναι.*

ib. 82. *λόγῳ μὲν γὰρ διηγήσασθαι οὐκ ἂν ἱκανόν μοι γένοιτο τὸ ὕδωρ.*

ib. 8. *τὴν ἄνθρωπον — ἐρεῖν τἀληθῆ — ἐκ τῆς ἰσχυροτάτης μαρτυρίας, βασανιζομένην.*

ib. 18. *ὃν δὲ τρόπον, ἐγὼ ὑμᾶς περὶ τούτου διδάξω.*

ib. 40. *ὃς ἂν ἄρξῃ χειρῶν ἀδίκων πρότερος* cl. 7.

ib. 40. *ἡ δ' αἰκία τοῦτ' ἔστιν, ὃς ἂν* — cll. 7, 47.

ib. 49. *Βούλομαι τοίνυν, ὦ. ἄ. δ., καὶ ἃ πέπονθα ὑπ' αὐτῶν διηγήσασθαι ὑμῖν.*

ib. 36. *ἐκέλευσα τὸν παῖδα καλέσαι.*

ib. 76. *ὑπ' αὐτοὺς τοὺς ἀγῶνας.*

XXXXIX. 4. *ἀναγκαῖόν μοι δοκεῖ εἶναι ἐξ ἀρχῆς ἅπαντα διηγήσασθαι ὑμῖν.*

ib. 38. *πῶς οὐκ εἰκός ἐστιν ὑμᾶς ἡγεῖσθαί με τ' ἀληθῆ λέγειν;*

ib. 59. *περὶ δὴ τούτου σαφῶς ὑμᾶς βούλομαι διδάξαι.*

ib. 11. *ὅπως αὐτός τε μὴ χείρων δόξω εἶναι.*

LIII. 24. *ἡγούμην γὰρ οὐ προσήκειν.*

ib. 3. *εἰ μὲν οὖν μοι ἱκανὸν τὸ ὕδωρ διηγήσασθαι πρὸς ὑμᾶς τὰ ἐξ ἀρχῆς.*

LIX. 122. *ἐξῆν αὐτῷ ἐκ τῆς ἀκριβεστάτης μαρτυρίας ἐπιδεῖξαι, παραδόντι τὰς θεραπαίνας ταύτας.*

ib. 43. *ἐξ ὅτου δὲ τρόπου καὶ δι' ἣν αἰτίαν, ἐγὼ ὑμῖν καὶ περὶ τούτου διέξειμι.*

ib. 1. *τῆς γὰρ ἔχθρας πρότερος οὗτος ὑπῆρξεν.*

ib. 122. *τὸ γὰρ συνοικεῖν τοῦτ' ἔστιν, ὃς ἂν —.*

ib. 1. *βούλομαι δ' ὑμῖν προδιηγήσασθαι πρῶτον ἃ πεπόνθαμεν ὑπ' αὐτοῦ.*

L. 46. *ἐκέλευέ με καλεῖν,* LIX. 14. *κελεῦσαι καλέσαι.*

XXXXIX. 31. *ὑπὸ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον,* L. 23. *ὑπ' αὐτὰς γὰρ Πλειάδων δύσεις,* ib. 41. *ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον.*

L. 2. *ἀναγκαῖον δή μοι δοκεῖ εἶναι, ἅπαντα ἐξ ἀρχῆς διηγήσασθαι πρὸς ὑμᾶς.*

ib. 1. *πῶς οὐχ ὑπὲρ τούτων εἰκός ἐστιν ἀκούσαντας ὑμᾶς — διαγνῶναι;*

ib. 43. *περὶ δὴ τούτων βούλομαι ὑμᾶς σαφῶς διδάξαι τὸ αἴτιον.*

ib. 5. *οἱ γὰρ τραπεζῖται εἰώθασιν ὑπομνήματα γράφεσθαι ὧν τε διδόασι χρημάτων, καὶ εἰς ὅ τι* cett.	LII. 4. *εἰώθασι δὲ πάντες οἱ τραπεζῖται, ὅταν τις ἀργύριον τιθεὶς ἰδιώτης ἀποδοῦναί τῳ προστάττῃ, πρῶτον τοῦ θέντος τοὔνομα γράφειν* cett.
ib. *καὶ οἴωνται διὰ τὴν δόξαν πιστεύεσθαι δεῖν.*	ib. 1. *ὡς οὐκ εἰκὸς αὐτῷ διὰ τὴν δόξαν πιστεύειν.*
ib. 65. *Βούλομαι τοίνυν ὑμῖν καὶ περὶ τῆς προκλήσεως τοῦ ὅρκου εἰπεῖν, ἣν ἐγώ τε τοῦτον προεκαλεσάμην καὶ οὗτος ἐμέ.*	LIII. 22. *βούλομαι δὲ καὶ περὶ τῆς προκλήσεως εἰπεῖν, ἣν οὗτοί με προὐκαλέσαντο καὶ ἐγὼ τούτους.*
ib. 69. *Ὅσων μὲν τοίνυν, ὦ ἄ. δ., ἐδυνάμην ὑμῖν μάρτυρας παρασχέσθαι, μεμαρτυρήκασί μοι. ἔτι δὲ καὶ ἐκ τεκμηρίων δεδήλωκα ὑμῖν ὡς —.*	L. 57. *Ὅσων μὲν τοίνυν ὑμῖν ἐδυνάμην τοὺς μάρτυρας παρασχέσθαι τῶν παραγενομένων — ἀνέγνωκεν ὑμῖν· ἔτι δὲ καὶ ἐκ τεκμηρίων ἱκανῶν δεδήλωκα ὑμῖν διότι —.* LIII. 22. *Ὅσας μὲν τοίνυν μαρτυρίας παρασχέσθαι εἶχον ὑμῖν, —. δεδήλωκα ὑμῖν.*
L. 11. *Ὅτι μὲν τοίνυν οὐ ψεύδομαι πρὸς ὑμᾶς περὶ ὧν εἶπον, ὦ ἄ. δ., τῶν μαρτυριῶν ἀναγιγνωσκομένων ἀκηκόατε.*	LII. 8. *Ὅτι μὲν ἀληθῆ ἅπαντα εἶπον πρὸς ὑμᾶς, ὦ ἄ. δ., τῶν μαρτυριῶν ἀκηκόατε.*
ib. 17. *τοιούτων τοίνυν μοι τῶν πραγμάτων συμβεβηκότων.*	ib. 9. *συμβέβηκε δὲ τοιοῦτόν τι.*
ib. 41. *Βούλομαι δ' ὑμῖν καὶ τεκμήριόν τι εἰπεῖν, ἵν' εἰδῆθ' ὅτι περιφανῶς ἠδίκημαι.*	ib. 23. *βούλομαι δ' ὑμῖν καὶ τεκμήριόν τι εἰπεῖν τηλικοῦτον ᾧ δῆλον ὑμῖν ἔσται, ὡς ἐγὼ οἶμαι, ὅτι πάντα πρὸς ὑμᾶς ἔψευσται.*
ib. 19. *τῷ μὲν Εὐκτήμονι ἀσθενῆσαι ἐξαίφνης συνέβη καὶ πάνυ πονηρῶς διετέθη.*	LIX. 55. *ἠσθένησε καὶ πάνυ πονηρῶς διετέθη.*
ib. 31. *προϊόντος τοῦ λόγου.*	ib. 20. *προϊόντος τοῦ λόγου.*
ib. 57. *κατεφρόνησεν οὐκ ἐμοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑμῶν καὶ τῶν νόμων.*	ib. 72. *οὕτω πολὺ τῶν νόμων καὶ ὑμῶν κατεφρόνησεν.*

LII. 25. Ἔτι τοίνυν καὶ τοδὶ σκέψασθε, ὦ ἄ. δ., ὅτι —.	LIII. 21. Ἔτι τοίνυν καὶ ἐκ τῶνδε γνώσεσθε, ὦ ἄ. δ., ὅτι —.

His locis adscriptis illos proferre volo similitudines, quae intercedunt inter primam et alteram partem orationum nostrarum quaeque inprimis Fridericum Blassium commovisse videntur, ut omnes orationes uni auctori tribui posse diceret.[1] Sunt hae:

XXXXIII. 4. πονηρότατοι δόξαντες εἶναι.	LIX. 10. δόξας πονηρὸς εἶναι.
ib. 15. καί μοι ἀνάγνωθι τὸν νόμον, καθ' ὃν ἡ πρόκλησίς ἐστι.	ib. 16. πρῶτον μὲν οὖν τὸν νόμον ὑμῖν ἀναγνώσεται, καθ' ὃν τήν τε γραφὴν ταυτηνὶ Θεόμνηστος ἐγράψατο.
ib. 17. Τοῦ μὲν νόμου ἀκηκόατε.	ib. 17. Τοῦ μὲν νόμου τοίνυν ἀκηκόατε.
ib. 17. δέομαι — δικαίαν δέησιν.	XXXXVII. 46. δ. δ. δ. = L. 2.
ib. 81. μάλιστα μὲν τοῖς τετελευτηκόσιν.	LIX. 126. μάλιστα μὲν τοῖς θεοῖς.
XXXXVIII. 9, 17, 30, 48. καλῶς καὶ δικαίως.	LIX. 105, 126. κ. κ. δ.
ib. 35. ὃν μὲν τρόπον — καὶ λόγῳ ἀκηκόατε καὶ μεμαρτύρηται ὑμῖν.	ib. 49. ὅτι μὲν τοίνυν —, τῷ τε λόγῳ ἀποφαίνω ὑμῖν καὶ μεμαρτύρηται.
ib. 40. εὐθὺς παραχρῆμα.	LII. 6. εὐθέως π.
ib. 41. ἀκόλουθόν ἐστιν.	XXXXVI. 17. ἀ. εἶναι.

Quas similitudines et paucas esse et fortuitas nemo negabit.

Ad finem pervenimus. Jam ut ea, quae perscrutando invenimus, paucis referamus, demonstrasse mihi videor:

a) orationes XXXV. XXXXIII. XXXXVIII. ab uno eodemque scriptore compositas esse,

b) orationes XXXXVI. XXXXVII. XXXXIX. L. LII. LIII. LIX. uni eidemque auctori esse adscribendas,

c) non dubium esse posse, quin optimo iure orationes XXXXIII. XXXXVIII. a XXXXVI. XXXXVII. XXXXIX. L. LII. LIII. LIX. scriptore abiudicem.

[1] l. l. pagg. 496 not. 7, 501 nott. 1, 2.

Quae hac commentatione continentur.

Vita.

Paulus Bernhardus Uhle natus sum a. d. VIII. Cal. Nov. a. h. s. LVI. in vico Niederfrohna. Fidei addictus sum evangelicae. Illos per annos, quibus civis fui seminarii ludi magistrorum quibusque in ludo publico munere functus sum praeceptorio, tantam operam navavi litteris graecis et latinis, ut a. h. s. LXXVII. in Gymnasio Chemnitiensi maturitatis testimonium adeptus sim. Quo accepto Lipsiam me contuli ibique scholas adii virorum illustrissimorum G. Curtii, Langii, Lipsii, Zarnckii, Braunii, G. Voigtii, de Nordenii, Heinzii. Ineunte anno h. s. LXXX. examen pro facultate docendi superavi. Inde ab illo tempore praeceptor sum in Gymnasio qu. d. reali Chemnitiensi, primum unum fere annum extraordinarius, tum ordinarius.

DE DEMOSTHENIS IN ANDROTIONEM ET TIMOCRATEM ORATIONIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

IN AUDITORIO MAXIMO

DIE II. M. JULII A. MDCCCLXXXV HORA XII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HERMANNUS VIEZE

BEROLINENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

A. BRINCK, DR. PHIL.

A. BRACHMANN, CAND. PHIL.

HALAE SAXONUM.

FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS.

MDCCCLXXXV.

	βητοῦσι καὶ ἀνακρίνας εἰσήγαγεν εἰς τὸ δικαστήριον.
ib. 8. ἐξ ἀνάγκης γὰρ ἦν, ὦ ἄ. δ., τῷ ἄρχοντι ἀμφορέα ἑκάστῳ ἐγχέαι.	ib. 26. ταῦτα γὰρ οἱ νόμοι αὐτὸν (sc. τὸν ἄρχοντα) ἠνάγκαζον ποιεῖν.
ib. 9. ὧν μοι προσῆκε.	ib. 5. ὧν προσῆκεν.
ib. 11. Καὶ τότε μὲν ταῦτα, ὦ ἄ. δ., ἦν τὰ πραχθέντα.	ib. 28. καὶ τὰ μὲν πραχθέντα ταῦτ' ἦν ἐν τῇ ἀποδημίᾳ τῇ 'Ολυμπιοδώρου.
ib. 12. ἐκ τῶν ὑπολοίπων.	ib. 3. ἐκ τῶν ὑπολοίπων.
ib. 16. καί μοι ἀνάγνωθι τὸν νόμον, καθ' ὃν ἡ πρόκλησίς ἐστι.	ib. 30. καί μοι ἀνάγνωθι τὸν νόμον, καθ' ὃν ἡ πρόκλησις ἐγένετο.
ib. 20. τί ἂν ἐγὼ ὑμῖν, ὦ ἄ. δ., πράγματα παρέχοιμι ἢ ἐμαυτῷ, ἐξηγούμενος περὶ ἑκάστου;	ib. 7. τί ἂν ἐγὼ ταῦτα διηγούμενος ἢ ὑμῖν πράγματα παρέχοιμι ἢ ἐμαυτῷ ἐνοχλοίην;
X ib. 21. ἔστι δὲ βραχὺς ὁ λόγος cll. 18. διὰ βραχυτάτων, 72. διὰ βραχέων.	ib. 5. ἔστι δὲ βραχὺς ὁ λόγος.
ib. 21. μοί ἐστιν ἐξ ἀνάγκης λέγειν.	ib. 52. ἐξ ἀνάγκης δέ μοί ἐστιν εἰπεῖν.
ib. 29. ὁ οὐδεπώποτε γενόμενος.	ib. 45. τὰ οὐδεπώποτε γενόμενα.
ib. 60. ἀγανακτεῖ δὲ καὶ δεινά φησι πάσχειν.	ib. 28. ἠγανάκτει 'Ολυμπιόδωρος — καὶ ἡγεῖτο δεινὰ πεπονθέναι cl. XXXV. 45. δεινὰ φάσκων πάσχειν καὶ παρανομεῖσθαι.
ib. 60. οἱ τὴν ψῆφον ἔχοντες.	ib. 52. οἱ τὴν ψῆφον ἔχοντες.
ib. 65. καὶ ποιεῖν ἅπαντα τὰ νομιζόμενα.	ib. 6. καὶ τἄλλα ποιεῖν τὰ νομιζόμενα.
ib. 78. ὁ δὲ νόμος κελεύει ὁ τοῦ Σόλωνος.	ib. 56. καὶ ὅπερ Σόλων ὁ νομοθέτης λέγει —; ib. ἐνομοθέτησεν — ὁ Σόλων.
[illegible] ὅπως ὑμῖν δοκεῖ δίκαια.	ib. 48. ὅ τι ἂν ὑμῖν δικαιότατον δοκῇ εἶναι cll. 53, 58.

ib. 83. νομίζετε δὴ τὸν παῖδα τοῦτον, ὦ ἄ. δ., ἱκετηρίαν ὑμῖν προκεῖσθαι.	ib. 57. νομίσατε γὰρ ἐκείνας ἐνθάδε παρεῖναι.
ib. 84. δέομαι δὲ καὶ ὑμῶν — καὶ ἱκετεύω καὶ ἀντιβολῶ.	ib. 57. ἐγὼ δ' ὑμῶν δέομαι, καὶ — ἱκετεύομεν ὑμᾶς καὶ ἀντιβολοῦμεν.
XXXXVI. 4. οὐ γὰρ ἂν εἰδείηθ' ὑμεῖς εἴτ' ἐστιν ἀληθῆ εἴτε ψευδῆ ἅ φασιν ἑκάτεροι, εἰ μή τις καὶ τοὺς μάρτυρας παρέχοιτο. ὅταν δὲ παράσχηται, τούτοις πιστεύοντες ὑποδίκοις οὖσι ψηφίζεσθε.	XXXXVII. 3. ὑμεῖς γὰρ εἰς τοὺς μάρτυρας βλέψαντες, καὶ πιστεύσαντες οἷς ἂν οὗτοι μαρτυρήσωσι, ψηφίζεσθε. ἵνα οὖν μήθ' ὑμεῖς ἐξαπατᾶσθε μήθ' οἱ εἰσιόντες εἰς ὑμᾶς ἀδικῶνται, διὰ ταῦτα αὐτοὺς ὑποδίκους ἐποίησεν ὁ νομοθέτης.
ib. 15. ἄξιον δὲ καὶ τόδε ἐνθυμηθῆναι.	LIX. 116. Ἄξιον δὲ κἀκεῖνο ἐνθυμηθῆναι.
ib. 27. Ἡδέως ἂν τοίνυν ὑμᾶς ἐροίμην.	XXXXIX. 68. ἡδέως δ' ἂν ἔγωγε πυθοίμην, L. 67. Ἡδέως δ' ἂν ὑμῶν πυθοίμην.
XXXXVII. 6. σχεδὸν μὲν οὖν τι καὶ αὐτοί μοι ὁμολογοῦσιν ἐν τῇ μαρτυρίᾳ.	XXXXIX. 21. σχεδὸν μὲν οὖν καὶ αὐτὸς οὗτος ὡμολόγει.
ib. 13. ὡς δὲ οὐκ ἀληθὲς τοῦτ' ἔστιν ἐγὼ ὑμᾶς διδάξω.	ib. 21. ὡς δ' οὐκ ἀληθῆ ἔλεγεν — ἐγὼ ὑμᾶς διδάξω.
ib. 23. οὐδεπώποτε ἔλαβον σκεύη ἐκ τοῦ νεωρίου, ἀλλ' αὐτὸς ἰδίᾳ παρεσκεύαζον.	L. 7. ἔτι δὲ σκεύεσιν ἰδίοις τὴν ναῦν ὅπασαν κατεσκεύασα, καὶ τῶν δημοσίων ἔλαβον οὐδέν cll. 26, 27.[1])
ib. 44. ὑμῶν τε δέομαι ὅσοι ἐβούλευον ἐπ' Ἀγαθοκλέους ἄρχοντος φράζειν τοῖς παρακαθημένοις.	ib. 3. ὅσοι μὲν τῶν στρατιωτῶν ἐστὲ καὶ παρῆτε ἐκεῖ, αὐτοί τε ἀναμνήσθητε καὶ τοῖς παρακαθεζομένοις φράζετε.
ib. 4. νῦν δὲ πλείων μοι λόγος ἔσται ἐξελέγχοντι τὸν τρόπον αὐτῶν ἢ τὴν μαρτυρίαν ψευδῆ οὖσαν.	LII. 1. ἀνάγκη γάρ ἐστι τῷ φεύγοντι μηκέτι περὶ τοῦ πράγματος μόνον λέγειν, ἀλλὰ καὶ περὶ αὐτοῦ τοῦ λέγοντος.

---

1) Cf. hui. diss. p. 56.

ib. 70. *χείρων τε δόξεις πολλοῖς εἶναι.*

ib. 45. *ἡγούμενος οὐκ εἶναι.*

ib. 82. *λόγῳ μὲν γὰρ διηγήσασθαι οὐκ ἂν ἱκανόν μοι γένοιτο τὸ ὕδωρ.*

ib. 8. *τὴν ἄνθρωπον — ἐρεῖν τἀληθῆ — ἐκ τῆς ἰσχυροτάτης μαρτυρίας, βασανιζομένην.*

ib. 18. *ὃν δὲ τρόπον, ἐγὼ ὑμᾶς περὶ τούτου διδάξω.*

ib. 40. *ὃς ἂν ἄρξῃ χειρῶν ἀδίκων πρότερος* cl. 7.

ib. 40. *ἡ δ᾽ αἰκία τοῦτ᾽ ἔστιν, ὃς ἂν* — cll. 7, 47.

ib. 49. *Βούλομαι τοίνυν, ὦ. ἄ. δ., καὶ ἃ πέπονθα ὑπ᾽ αὐτῶν διηγήσασθαι ὑμῖν.*

ib. 36. *ἐκέλευσα τὸν παῖδα καλέσαι.*

ib. 76. *ὑπ᾽ αὐτοὺς τοὺς ἀγῶνας.*

XXXXIX. 4. *ἀναγκαῖόν μοι δοκεῖ εἶναι ἐξ ἀρχῆς ἅπαντα διηγήσασθαι ὑμῖν.*

ib. 38. *πῶς οὐκ εἰκός ἐστιν ὑμᾶς ἡγεῖσθαί με τ᾽ ἀληθῆ λέγειν;*

ib. 59. *περὶ δὴ τούτου σαφῶς ὑμᾶς βούλομαι διδάξαι.*

ib. 11. *ὅπως αὐτός τε μὴ χείρων δόξω εἶναι.*

LIII. 24. *ἡγούμην γὰρ οὐ προσήκειν.*

ib. 3. *εἰ μὲν οὖν μοι ἱκανὸν τὸ ὕδωρ διηγήσασθαι πρὸς ὑμᾶς τὰ ἐξ ἀρχῆς.*

LIX. 122. *ἐξῆν αὐτῷ ἐκ τῆς ἀκριβεστάτης μαρτυρίας ἐπιδεῖξαι, παραδόντι τὰς θεραπαίνας ταύτας.*

ib. 43. *ἐξ ὅτου δὲ τρόπου καὶ δι᾽ ἣν αἰτίαν, ἐγὼ ὑμῖν καὶ περὶ τούτου διέξειμι.*

ib. 1. *τῆς γὰρ ἔχθρας πρότερος οὗτος ὑπῆρξεν.*

ib. 122. *τὸ γὰρ συνοικεῖν τοῦτ᾽ ἔστιν, ὃς ἂν —.*

ib. 1. *βούλομαι δ᾽ ὑμῖν προδιηγήσασθαι πρῶτον ἃ πεπόνθαμεν ὑπ᾽ αὐτοῦ.*

L. 46. *ἐκέλευέ με καλεῖν,* LIX. 14. *κελεῦσαι καλέσαι.*

XXXXIX. 31. *ὑπὸ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον,* L. 23. *ὑπ᾽ αὐτὰς γὰρ Πλειάδων δύσεις,* ib. 41. *ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον.*

L. 2. *ἀναγκαῖον δή μοι δοκεῖ εἶναι, ἅπαντα ἐξ ἀρχῆς διηγήσασθαι πρὸς ὑμᾶς.*

ib. 1. *πῶς οὐχ ὑπὲρ τούτων εἰκός ἐστιν ἀκούσαντας ὑμᾶς — διαγνῶναι;*

ib. 43. *περὶ δὴ τούτων βούλομαι ὑμᾶς σαφῶς διδάξαι τὸ αἴτιον.*

ib. 5. *οἱ γὰρ τραπεζῖται εἰώθασιν ὑπομνήματα γράφεσθαι ὧν τε διδόασι χρημάτων, καὶ εἰς ὅ τι* cett.	**LII. 4.** *εἰώθασι δὲ πάντες οἱ τραπεζῖται, ὅταν τις ἀργύριον τιθεὶς ἰδιώτης ἀποδοῦναί τῳ προστάττῃ, πρῶτον τοῦ θέντος τοὔνομα γράφειν* cett.
ib. *καὶ οἴωνται διὰ τὴν δόξαν πιστεύεσθαι δεῖν.*	**ib. 1.** *ὡς οὐκ εἰκὸς αὐτῷ διὰ τὴν δόξαν πιστεύειν.*
ib. 65. *Βούλομαι τοίνυν ὑμῖν καὶ περὶ τῆς προκλήσεως τοῦ ὅρκου εἰπεῖν, ἣν ἐγώ τε τοῦτον προεκαλεσάμην καὶ οὗτος ἐμέ.*	**LIII. 22.** *βούλομαι δὲ καὶ περὶ τῆς προκλήσεως εἰπεῖν, ἣν οὗτοί με προὐκαλέσαντο καὶ ἐγὼ τούτους.*
ib. 69. *Ὅσων μὲν τοίνυν, ὦ ἄ. δ., ἐδυνάμην ὑμῖν μάρτυρας παρασχέσθαι, μεμαρτυρήκασί μοι. ἔτι δὲ καὶ ἐκ τεκμηρίων δεδήλωκα ὑμῖν ὡς —.*	**L. 57.** *Ὅσων μὲν τοίνυν ὑμῖν ἐδυνάμην τοὺς μάρτυρας παρασχέσθαι τῶν παραγενομένων — ἀνέγνωκεν ὑμῖν· ἔτι δὲ καὶ ἐκ τεκμηρίων ἱκανῶν δεδήλωκα ὑμῖν διότι —.* **LIII. 22.** *Ὅσας μὲν τοίνυν μαρτυρίας παρασχέσθαι εἶχον ὑμῖν, —. δεδήλωκα ὑμῖν.*
L. 11. *Ὅτι μὲν τοίνυν οὐ ψεύδομαι πρὸς ὑμᾶς περὶ ὧν εἶπον, ὦ ἄ. δ., τῶν μαρτυριῶν ἀναγιγνωσκομένων ἀκηκόατε.*	**LII. 8.** *Ὅτι μὲν ἀληθῆ ἅπαντα εἶπον πρὸς ὑμᾶς, ὦ ἄ. δ., τῶν μαρτυριῶν ἀκηκόατε.*
ib. 17. *τοιούτων τοίνυν μοι τῶν πραγμάτων συμβεβηκότων.*	**ib. 9.** *συμβέβηκε δὲ τοιοῦτόν τι.*
ib. 41. *Βούλομαι δ' ὑμῖν καὶ τεκμήριόν τι εἰπεῖν, ἵν' εἰδῆθ' ὅτι περιφανῶς ἠδίκημαι.*	**ib. 23.** *βούλομαι δ' ὑμῖν καὶ τεκμήριόν τι εἰπεῖν τηλικοῦτον ᾧ δῆλον ὑμῖν ἔσται, ὡς ἐγὼ οἶμαι, ὅτι πάντα πρὸς ὑμᾶς ἔψευσται.*
ib. 19. *τῷ μὲν Εὐκτήμονι ἀσθενῆσαι ἐξαίφνης συνέβη καὶ πάνυ πονηρῶς διετέθη.*	**LIX. 55.** *ἠσθένησε καὶ πάνυ πονηρῶς διετέθη.*
ib. 31. *προϊόντος τοῦ λόγου.*	**ib. 20.** *προϊόντος τοῦ λόγου.*
ib. 57. *κατεφρόνησεν οὐκ ἐμοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑμῶν καὶ τῶν νόμων.*	**ib. 72.** *οὕτω πολὺ τῶν νόμων καὶ ὑμῶν κατεφρόνησεν.*

vocibus, quas Taylorus attulit, tum ex aliis, quas idem Harpocratio non Timocrateae, cui debebat, sed Androtioneae, in qua non leguntur, attribuit, errasse tam illum lexicographum quam Ammonium atque confudisse animo orationes in Androtionem et in Timocratem habitas. Quod quidem eo facilius eis accidere potuit, quia argumenta harum orationum similia sunt et in utraque actorum partes ab iisdem susceptas esse nec, quod caput est, in Timocratea minus quam in Androtionea Androtionem peti videmus. Post Taylorum G. A. Beckerus[1]) hanc orationem non esse eam, quae apud iudices habita sit, sed quam Demosthenes adumbraverit magis quam perpoliverit, iactat potius quam certis argumentis demonstrat. Contra Taylorum et Beckerum pugnat Funkhaenelius, qui in praefatione, quam editioni huius orationis praemisit, sic iudicat: ‚Si quae sunt in ea (Androtionea), quae minus sis probaturus, ea facile ita excusari memento, ut *δευτερολογίαν* eam orationem esse reputes. Hinc nimia interdum brevitas in singulis argumentis et legibus, quae contra adversarium proferuntur, exponendis, hinc studium illud, quod deprehendisse ego mihi videor, ad finem rem ducendi et causam et excusationem habet.‘[2]) A. Schaeferus[3]) autem, diligentissimus rerum Demosthenicarum scrutator, de Androtionea iudicium ferre se non audere fatetur. Blassius[4]) denique, qui novissime in libro, quem de oratorum Atticorum eloquentia scripsit, eam quaestionem tetigit, quamquam Beckeri opinionem reiecit, tamen, quid ex omni huius orationis habitu colligendum sit, tacet.

Ecce diversitas iudicii! Etsi in eo omnes consentiunt, quod orationem in Androtionem habitam a Demosthene nullo modo posse abiudicari sibi persuaserunt, tamen ceteroquin, quid de orationis huius condicione atque habitu iudicandum sit, dissentiunt. Taylorus et Beckerus mutilam, Funkhaenelius integram omnibusque numeris absolutam

1) Demosthenes als Staatsmann und Redner, p. 378 seqq.
2) Edit. praef. p. XII. et proleg. p. 3.
3) Demosthenes und seine Zeit, vol. V. p. 322.
4) Attische Beredsamkeit, vol. III.

eam esse voluerunt, Schaeferus autem et Blassius omni iudicio abstinent. Quae cum ita sint, ut tandem aliquando ex dubitationis fluctibus emergere incipiamus, nobis operae pretium visum est, quid tandem rei sit, quaerere atque id saltem efficere, confidenterne liceat de ea re iudicare, an in medio tota lis relinquenda sit.

Rem vero ipsam non ita tractabimus, ut probando vel reiciendo causam dicamus, sed multo aptius atque utilius nobis visum est, de integro rem explorare ita, ut in dispositione orationis et singularum partium ordine et cohaerentia investigandis summam operam ponamus.

Ex primis statim huius orationis verbis colligitur deuterologiam, ut Graeco vocabulo utar, eam esse, nomenque eius, qui priorem orationem contra Androtionem habuerit, affertur ‚Euctemon.' Is antem, qui hanc alteram orationem habiturus erat, Diodorus quidam Atheniensis, cui Demosthenem hanc orationem scripisse traditum habemus, ostendere debuit, cur priorem actorem adjuvaret. Quod quidem facere eum §§ 2. et 3. legimus, quibus exponit, quas reus iniurias, graviores etiam, quam quibus Euctemon ab eodem affectus sit, sibi intulerit.

Deinde ad indicandum, quas res oratione ipsa tractaturus sit, transitum facit his verbis: *καὶ περὶ μὲν τῶν ἰδίων ἔχων ἔτι πολλὰ λέγειν ἐάσω· περὶ δὲ ὧν οἴσετε τὴν ψῆφον νυνὶ καὶ περὶ ὧν οὗτος δημοσίᾳ πεπολιτευμένος οὐκ ὀλίγα ὑμᾶς ἔβλαψεν, ἅ μοι παραλιπεῖν Εὐκτήμων ἐδόκει, βέλτιον δ' ὑμᾶς ἀκοῦσαι, ταῦτα διεξελθεῖν ἐν βραχέσι πειράσομαι,* quae verba quantum ad totius orationis habitum ac formam aestimandam valeant, nemo est quin intellegat. Primo igitur loco ea tantummodo, quae Euctemon reliquerit, tractatnrum se esse Diodorus pollicetur neque multa se verba facturum esse addit. Vides, quam perverse illi de hac oratione iudicaverint, qui eius brevitatem reprehenderunt. Neque enim fieri potest, quin is, qui deuterologiam habet, exordio et rei narratione et expositione et legibus, quas reus violaverit, recitandis et explicandis supersedeat, cum ea omnia prior actor iam fecisse putandus sit. Praeterea bipartito se rem tractaturum esse illis verbis

orator proponit, e quibus partibus priorem de re ipsa, quae in iudicinm veniat, alteram de ratione, qua reus in republica versatus sit, fore promittit. Prioris autem illorum locorum verba, etsi eius partis, ad quam pertinent, sententiam summam non ita distincte exprimunt, tamen satis perspicue indicant, rem fore de legibus, propter quas reus damnandus sit; nam secundum leges iudices sententias ferre debebant. Neque tamen eam ob rem recitare vel explicare leges de integro Diodoro opus erat, sed Euctemonis orationi adicere tantum quae idonea viderentur. Quam vero in sententiam cum hunc locum, de quo modo diximus, tum totam propositionem accipi orator velit, maxime ostendunt ea verba, quae continuo in § 4. sequuntur: *προςέχετε· τὸν νοῦν οἷς ἐρῶ, ἵν' ἀκούσαντες ἐμοῦ πρὸς ἕκαστον τῶν ὑπὸ τούτου ῥηθησομένων ἔχηθ' ὑπολαμβάνειν ἃ δεῖ.* Quibus ex verbis luculentissime apparet, nihil nisi rationes, quibus reum usurum esse suspicari liceat, antea refutandum suscipere oratorem. Nihil igitur aliud hac tota oratione exspectabimus quam confutationem, quae apud veteres rhetores vocabatur, quam quidem confutationem prior actor Euctemon aut plane omisisse aut levissime tetigisse existimandus est. Quam vero recte confutationis naturam cum orationis huius universus habitus tum singularum particularum coniunctiones sequantur, demonstrare nostrum erit.

§ 5. statim ad priorem orationis partem, quae est de legibus a reo violatis, transit orator verbis his: *Ἐστὶ γὰρ εἷς μὲν ὃν οἴεται τεχνικῶς ἔχειν αὐτῷ λόγος περὶ τοῦ ἀπροβουλεύτου.* Videmus nullo artiore vinculo coniunctam esse hanc partem cum antecedentibus verbis atque carere exordio communi, nulla mentione facta, quam rem hac tota parte principali, quam orditur, tractaturus sit. Verba enim ea, quae modo attuli, ad primam tantummodo legem, contra quam reus peccaverit, pertinent, non ad totam partem, quae est de legibus a reo violatis. Neque habet hoc, etsi neglegentius esse videtur, quidquam, quod miremur, quia plane consuetudini refutationis respondet.

Dicit autem § 5.—7. de prima lege, qua nullam rogationem ad populum ferri licebat, nisi antea a senatu com-

probata esset. Quam legem revera a reo violatam esse sine dubio iam Euctemon probavisse existimandus est; neque quidquam Diodoro restabat, nisi ut, quae reus fortasse excusaturus esset, antea refutaret. Praesto autem illi erant duae excusationes, quarum prima erat, summam potestatem apud populum ipsum esse, neque quidquam contra leges factum esse posse quod populus iussisset, altera haec, reum neque primum neque unum ea, quam Diodorus improbaret, ratione legis ferendae usum esse, sed omnes fere qui antea senatui praesedissent. Quae quo iure reus excusare potuerit omnes intellegunt; nam usui quoque atque mori aliquid tribuendum est. Quare argutius quam verius ea refutare oratorem non mirabimur.

§ 8. orator verbis quae sunt: *Περὶ τοίνυν τοῦ νόμου τοῦ διαῤῥήδην οὐκ ἐῶντος ἐξεῖναι μὴ ποιησαμένῃ τῇ βουλῇ τὰς τριήρεις αἰτῆσαι τὴν δωρεάν, ἄξιόν ἐστιν ἀκοῦσαι τὴν ἀπολογίαν ἣν ποιήσεται* seqq. ad legem alteram transit, qua senatui, nisi naves aedificandas curasset, interdictum erat, ne coronam expeteret. Hanc quoque legem a reo violatam esse iam Euctemon probasse putandus est, idque ita, ut recitata illa lege naves non esse constructas a senatu commemoraret, neque vero hoc solum (neque enim aut Androtion aut iudices infitiari poterant), sed etiam senatus ipsius non alius cuiusdam culpa naves non esse factas ostenderet. Itaque Diodoro id tantummodo restabat, ut excusationibus Androtionis occurreret. Ex quibus primam fore eam arbitrabatur, coronam senatum non ultro expetivisse, sed oblatam ab ipso populo accepisse. Quam excusationem ut refutaret, actor de legis vi ac sententia, quam ei legislator Solon subesse voluisset, verba facit. Deinde ad alteram graviorem etiam rei excusationem actor se convertit, qua non per ipsum senatum factum esset, quominus naves aedificarentur, sed per eum, qui aerario publico praefectus pecuniam ad naves destinatam abstulisset. Atque in hac quidem re mihi vera causa posita fuisse videtur, cur naves non construerentur. Quam rationem utrum Euctemon iam tractaverit necne, quamquam pro certo affirmari nequit, tamen tractasse existimari potest. Mirum enim esset, si id argumentum, quo

maxime nitebatur adversarius, ne verbo quidem tetigisset. Quodsi iam de ea re dixerat, id eum ita fecisse verisimile est, ut ostenderet, potuisse tamen naves fieri, quamquam aerarii quaestor cum magna pecunia aufugisset, atque etiam tum satis pecuniae fuisse relictum, quod senatus culpa ad res inutiles absumptum esset. Quod quam difficile fuerit argumentis probari, nemo est quin videat; et tamen maxime accusatoris intererat eam excusationem dilui. Quae cum ita sint, quamvis acriter prior orator illud argumentum refutasse putari possit, tamen Diodorus ad id redire debuit, ut etiam gravioribus argumentis vel artificiis dictionis illud infringere conaretur. Et revera § 17. hoc se facturum pollicetur his verbis: *ἀκούω δ' αὐτὸν τοιοῦτον ἐρεῖν τινὰ ἐν ὑμῖν λόγον, ὡς οὐχ ἡ βουλὴ γέγονεν αἰτία τοῦ μὴ πεποιῆσθαι τὰς ναῦς, ἀλλ' ὁ τριηροποιῶν ταμίας ἀποδρὰς ᾤχετο ἔχων πενθ' ἡμιτάλαντα, καὶ τὸ πρᾶγμα ἀτύχημα συμβέβηκεν. ἐγὼ δὲ πρῶτον μὲν* seqq. Et postquam illud *ἀτύχημα,* quo factum est, ut pecunia illa abriperetur, ad rem quae ageretur nihil facere exposuit, sic pergit (§ 20.): *ὅτι τοίνυν οὐδ' αἴτιος ἄλλος οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶ τοῦ μὴ πεποιῆσθαι τὰς ναῦς, τοῦτο σαφῶς ὑμῖν ἐπιδείξω,* quibus verbis nihil aliud significat nisi hoc: perspicuis et gravibus argumentis demonstrabo, potuisse naves aedificari, etiamsi illa pecunia abrepta est.

Neque tamen quidquam aliud sequitur nisi hoc: *ἀνελοῦσα γὰρ ἡ βουλὴ τὸν νόμον τοῦτον ἐχειροτόνησεν αὐτῇ.*[1])

1) Sic enim scribendum censeo, quamquam codex Σ praebet ‚*αὐτὴν*', quam lectionem satis explicari non posse probabo. Quae quaestio, ut ratione et via instituatur, inde proficiscatur, ut inquiramus, quo vocabulum quod est *τοῦτον* referendum sit, utrum artius cum vocibus ‚*τὸν νόμον*' coniungendum sit, an ad eam quae sequitur ‚*ἐχειροτονησεν*' spectet. Nec difficilis est haec res ad diiudicandum, quamquam viri docti non consentiunt. Quorum pars maior (Harpocrationem, qui hunc locum laudat, secuti) veluti Schaeferus, Funkhaenelius, Mohrius*) vocem quae est *τοῦτον* ad ‚*τὸν νόμον*' revocant. Et tamen supervacaneum est ‚*τὸν νόμον*' dici ‚*τοῦτον*', immo, inutile est, ‚*τοῦτον*', quia vocibus ‚*τὸν νόμον*' nulla alia lex indicari hoc loco potest, nisi ea, de qua orator modo loquitur, neque ullo loco, quo de hac lege agitur, addit voculam ‚*τοῦτον*'. Quod maxime elucet

*) Progr. Muenstereifel. 1844.

Neque vero his paucis verbis perspicuam explicationem, qua senatus ipsius culpa id vitium commissum esse exponatur, contineri concedemus. Nequo ego Schaefero[1]) assentiri possum, qui haec verba sic explicat: „Quod ἀνελοῦσα ἡ

---

ex § 11., ubi haec velim respicias: ὅτι δὲ οὐδὲ τὸν δῆμον ἐᾷ διδόναι μὴ ποιησαμένῃ τὰς ναῦς ὁ νόμος, καὶ τοῦτ' ἐπιδείξω. διὰ ταῦτα γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον ὁ νόμος, quo utroque loco prorsus eadem vi dictum est ‚ὁ νόμος' atque in § 20. Seiungendum igitur est ‚τοῦτον' a vocibus, quae sunt τὸν νόμον, quod Wolfius et Jurinus olim fecerunt. Sed tum cuipiam vox ‚τοῦτον', cum supervacanea et inutilis iuxta ‚τόν νόμον' sit, eicienda esse videri potest, praesertim cum in Bekk. Anecd. p. 397, 3 haec legantur: Ἀνελοῦσα γὰρ τὸν νόμον ἐχειροτόνησεν αὐτῇ, omisso ‚τοῦτον'. Cui respondendum est, omnino non plene reddi ibi Demosthenis verba, quod inde apparet, quod etiam ‚ἡ βουλή' omissum est, atque ex iis quoque, quae idem grammaticus ad Demosthenis verba explicanda affert, quae sunt: ἀνελοῦσα τοῦτον τὸν νόμον ἐχειροτόνησεν ἐκεῖνον ἑαυτῇ, colligi posse videtur, illum legisse ‚τοῦτον'. Quodsi ‚τοῦτον' separandum a, ‚τὸν νόμον' neque tamen delendum est, spectabit sine dubio ad ‚ἐχειροτόνησεν'. Sed tum, ut praestantioris codicis Σ lectionem, quae est αὐτήν, ponamus, quaeritur, quid sit ‚ἡ βουλὴ ἐχειροτόνησε τοῦτον αὐτήν' vel ‚αὐτήν'. Nihil est hoc, si ad ‚ἐχειροτόνησεν' non solum ‚τοῦτον' sed etiam ‚αὐτήν' referimus, sed aut ‚αὐτήν' separandum a verbo, quod est ἐχειροτόνησεν, aut ‚αὐτῇ' scribendum est, quam lectionem veterrimam praeter illam, quam Σ solam praebet, non solum ceteri codices sed etiam Harpocration et Bekk. Anecd. suppeditant. Neque perperam ratiocinamur. Nam iuxta Harpocrationis testimonium, qui diserte scribit: ἐν δὲ τοῖς Ἀττικοῖς (vel Ἀττικιανοῖς) διττὴ ἦν γραφή etc., Σ codicis, quamvis praestantis, qui unam tantummodo lectionem praebet, auctoritas nihil valet. Itaque cum lectio, quae est αὐτήν, hoc loco non quadret, ‚αὐτῇ' scribere nulla ratione prohibemur, ut haec sententia evadat: senatus istum sibi elegit, istum i. e. Androtionem, non quaestorem fabrorum navalium, de quo Jurinus olim cogitavit; neque enim ex antecedenti enuntiato, quod est ὅτι τοίνυν οὐδ' αἴτιος ἄλλος οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶ τοῦ μὴ πεποιῆσθαι τὰς ναῦς seqq., subaudiri potest quaestor ille, cum diserte afferendus esset. Sed quid est: senatus istum sibi elegit? Scilicet, ut sibi patrocinaretur. Sic meo iudicio hic locus a multis tractatus legendus explicandusque est. Contra, quod Schaefero et Funkhaenelio placuit, ‚ἀνελοῦσα ἡ. β. τὸν νόμον τοῦτον, (sic interpungunt) ἐχειροτόνησεν αὐτήν', ferri non potest, quia haec quidem sententia, qua senatus se ipsum elegerit, in hunc locum non quadrat, neque ‚χειροτονεῖν' idem esse potest atque ‚διαχειροτονίαν διδόναι'.

1) Demosth. Androt. ed. Funkhaenel, p. 64.

βουλὴ τὸν νόμον τοῦτον (de senatu non coronando, nisi triremes instruxisset) *αὐτὴν ἐχειροτόνησεν*, quid aliud est quam *ἔνδειξις σαφής, ὅτι οὐκ ἄλλος ἐστὶν αἴτιος τοῦ μὴ πεποιῆσθαι τὰς ναῦς*? Qui si fuisset, nimirum senatus legi non facta vi hanc erat viam initurus, ut culpam in sontem transferens donum a populo expeteret". Eadem explicatio placet Funkhaenelio, quamquam is iusto breviorem oratorem hoc loco esse negare non potest, quod tamen ut in *δευτερολογίᾳ* excusari posse opinatur. Mea vero sententia talis verborum obscuritas, nisi consilio quaesita, prorsus abhorret cum ab usu Demosthenis, tum ab hoc loco, quo oratoris plurimum intererat, ut adversario illam rationem se defendendi eriperet; neque utrum *πρωτολογία* an *δευτερολογία* sit, in hanc rem quidquam refert. Itaque dubitari non potest, quin ea pars, qua orator ea, quae significavimus, accurate exposuit, fuerit quondam in hac oratione, sed interierit nescio quo modo.

Sed accedit aliud, quod illam difficultatem non levet sed augeat. Nam ex sequentis paragraphi (21.) initio (*ἔτι τοίνυν ἐπιχειρεῖ λέγειν περὶ τοῦ τῆς ἑταιρήσεως νόμου*) apparet, haec verba esse ita comparata, ut apte exordiantur eam partem, qua de tertia lege, contra quam reus peccaverit, agitur. Quamquam Blassius aliter de his verbis iudicavit, cum scriberet: „Ein Uebergang zum Folgenden fehlt." Atque id quidem Blassio concedendum est, vinculum, quo ab altera ad tertiam partem oratio traducatur, levissimum esse; deest enim recapitulatio, qua ea, quae antecedenti parte exposita sunt, comprehendantur. Neque vero in unaquaque transitione opus est illa, neque omnino hoc genus breviter et contorte dicendi a natura cum deuterologiae tum confutationis abhorret, neque a Demosthene spretum est (Cfr. Lept. 131.). Quid? quod in hac ipsa oratione nulla transitio reperiritur, quae illa antecedentium verborum collectione non careat? (Cfr. § 8, 33, 38, 42). Possunt multa huius rei afferri exempla, sed ea ipsa, quae attuli, sentio sufficere; neque enim iam cuiquam dubium erit, quin in verbis § 21. traditis verum exordium tertiae partis habeamus.

Sed, ut illuc, unde profectus sum, revertar, dixi augeri

§ 20. finis abrupti difficultatem, si verba exordii partis subsequentis integra tradita habemus. Quid enim? usque ad ipsum finem suum interiisse illam orationis partem, ac non aut ante finem suum abruptam esse aut ita interiisse, ut subsequentium verborum nonnulla eadem ruina secum traherent, credemus? Incredibile, si quondam fuit illa pars in orationis forma, qua edita est. Itaque iam, cum ederetur, orationem verba § 20. abrupta praebuisse concludemus. Huc, ne ab ulla parte destituamur, accedit, quod ex Harpocrationis testimonio supra a nobis laudato sine dubio apparet, iam antiquissimas huius orationis editiones non plura in § 20. verba suppeditasse, quam nos etiamnunc legimus.

§ 21. orator ad tertiam legem transit, quam et ipsam prior actor recitasse et iudices memoria tenere videntur. Nihil is fere aliud de hac lege exposuisse putandus est, nisi reo omnino non licuisse legem ferre, cum secundum legem, „ἑταιρήσεως“ ἄτιμος esset. Quod commentum Diodorus artibus quam callidissimis potuit multisque verbis refutare ita studuit, ut postea alio iudicio reum de illo crimine postulatum iri promitteret.

§ 33. orator ad quartam legem transit verbis his: *Περὶ τοίνυν τοῦ νόμου, καθ' ὃν ὠφληκότος αὐτοῦ τοῦ πατρὸς τῷ δημοσίῳ χρήματα καὶ οὐκ ἐκτετικότος οὐκ ἔξεστι λέγειν οὐδὲ γράφειν τούτῳ, ταὐτὰ*[1]) *δίκαια λέγειν ἂν ἔχοιτε εἰκότως,*

1) Sic scribimus, quamquam omnes fere viri docti codicum scripturam, quae est *ταῦτα*, sequuntur, etsi librorum in his rebus nulla auctoritas est. E quibus viris alteri illud *ταῦτα* ad verba sequentia, quae sunt *τότε γὰρ τοῦτο ποιήσομεν*, alteri ad antecedentia, quae sunt *οὐκ ἐξεῖναι λέγειν οὐδὲ γράφειν τούτῳ*, referunt. Quarum sententiarum neutra mihi placet. Nam si ‚*ταῦτα*‘ ad ‚*τότε γὰρ τοῦτο ποιήσομεν*‘ revocatur, *γὰρ* voculae locus non est; neque enim cum hoc loco conferri possunt exempla, in quibus post ‚*μαρτύριον δὲ*‘ vel ‚*τεκμήριον δὲ*‘ *γὰρ* particula pleonastice inseri solet. Sin autem cum Funkhaenelio alteram illarum explicationum sequimur, nescio an Demosthenes dilucidius, quid vellet, vocibus quae sunt *τοῦτ' αὐτό* elocuturus fuerit. Praeterea sic huic voci, quae est *ταῦτα*, minor vis subest, quam ei subesse orator sine dubio voluit. Neque enim hoc solum, ‚*οὐκ ἐξεῖναι αὐτῷ λέγειν οὐδὲ γράφειν ὠφληκότος αὐτοῦ τοῦ πατρός*‘, sed illa, quae antecedentibus paragraphis exposuit, universa mutatis mutandis maximeque ea, quae sunt (§ 23): *ὅτι τοῦτο ποιήσο-*

ἐὰν φῇ δεῖν ἡμᾶς ἐνδεικνύναι· τότε γὰρ τοῦτο ποιήσομεν etc.

Postquam orator §§. 33. et 34. paucissima ad quartam legem disputavit, hanc totam de legibus partem concludit verbis his: *καὶ περὶ μὲν τῶν νόμων, οὓς παρεγραψάμεθα, οἶμαι δεῖν ὑμᾶς, ἄν τι φενακίζειν ἐγχειρῇ καὶ παράγειν οὗτος, ταῦθ' ὑπολαμβάνειν ἃ διεξελήλυθα ἐγώ.*

Iam si totam illam partem, quae a § 5. usque ad § 34. pertinet, animo comtemplamur eiusque particulas perlustramus, leges ab oratore laudatas hunc ordinem servare videmus, ut primo loco eae tractentur, contra quas lex Androtionis pugnet, deinde eae, quae ad legislatorem ipsum spectent. Nec erit quisquam, qui hunc ordinem non probet. Contra amplitudo singularum particularum prorsus inaequabilis est; prima enim tres, altera plus quam tredecim, tertia duodecim, quarta denique duas tantum paragraphos complectitur. Neque tamen est quod hoc miremur nam plurima verba facere opus erat oratori de ea ratione, qua maxime nitebatur adversarius; ea vero, quae de quarta lege erant proferenda, consociari poterant cum illis, quae de tertia dicta erant; quod cum facere nollet, quia fortasse prioris orationis ordinem servare volebat, fecit ita ut separatim quidem diceret de quarta lege sed revocaret eam ad tertiam. Omnino autem cavendum est, ne nimium aequabilitati partium tribuamus. Nam cum in omni oratione singulae partes suum quaeque modum atque terminum habeant, tum maxime in deuterologia prorsus requirenda non est partium aequabilitas, quia a primis initiis artificiosa dispositio peti non potest, cum a priore oratore alter orator pendeat.

Iam ad ea, quae sequuntur, tractanda nos convertamus. Adnectuntur primae parti, quae est de legibus, particulae tres, quarum prima pertinet a § 35. usque ad § 37., altera a § 38. usque ad § 41., tertia denique a § 42. usque ad § 46.

μεν (quae referuntur ad verba quae sunt *πρὸς τοὺς θεσμοθέτας ἐπαγγέλλειν*) et ea quae sunt (§ 25): *Σόλων οὐχ ἕνι ἔδωκε τρόπῳ δίκην λαβεῖν* et quae similia, respondere reo iudices orator vult. Itaque scribo *ταὐτά* et explico ita, ut summae antecedentium paragraphorum sententiae, quas modo laudavi, subaudiantur.

E quibus prima et tertia commenta Androtioni afficta refutantur, ea autem, quae secundo loco posita est, non ipsi Androtioni orator respondet, sed collegis eius, quos pro senatu. ne coronae honore privetur neve infamia quadam afficiatur, verba facturos esse suspicatur. Ac prima quidem illarum particularum incipit ab his verbis: *Εἰσὶ δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων αὐτῷ λόγοι πρὸς τὸ φενακίζειν ὑμᾶς εὖ μεμηχανημένοι, περὶ ὧν βέλτιον ὑμᾶς προακοῦσαι.* Unde oratorem etiam alia, quae praeter ea, quae ad leges spectent, Androtionem ipsum oppositurum esse videat, ante occupare velle efficitur. E quibus commentis Androtionis primum continuo sequitur: *ἐστὶ γὰρ εἷς αὐτῷ τοιοῦτος, μὴ πεντακοσίους ὑμῶν αὐτῶν ἀφελέσθαι τὴν δωρεὰν μηδὲ ὀνείδει περιβαλεῖν.* Quae ratio quantum ad iudicum misericordiam movendam valeat, nemo est quin videat, neque, quantum oratoris interesse debuerit diluere illam quamvis tenuibus artificiis, quisquam erit quin intellegat. Quam refutationem orator absolvit verbis his (37): *ὥστ᾽ εἰ μηδενὸς ἄλλου ἕνεκα, διά γε ταῦτα καταψηφιστέον.*

Postquam primum ex Androtionis commentis eis, quae non ad leges ipsas spectant, orator infregit, eum ad alterum progressurum esse exspectamus. At proxima paragrapho (38.) quid videmus scriptum? *Ὃ τοίνυν ἕτερον δεῖ μὴ λαθεῖν ὑμᾶς, ἀκούσατε. ἴσως ἀναβήσεται καὶ συνερεῖ τῇ βουλῇ Φίλιππος καὶ Ἀντιγένης καὶ ὁ ἀντιγραφεὺς καί τινες ἄλλοι* seqq. Non igitur Androtionem ipsum orator refellit, sed ne eius collegarum pro senatu preces audiant iudices admonet. Quas preces reicit usque ad finem § 41., et § 42. demum alteram Androtionis rationem occupat his verbis: *Οἴομεν τοίνυν αὐτὸν οὐδ᾽ ἐκείνων ἀφέξεσθαι τῶν λόγων, ὅτι ταῦτα πάντ᾽ αὐτῷ διὰ τὰς εἰςπράξεις γέγονεν* seqq., quae particula § 46. his verbis absolvitur: *καὶ περὶ μὲν τούτων, ὃν τρόπον ὑμᾶς ἀπαγαγὼν ἀπὸ τοῦ νόμου παρακρούεσθαι ζητήσει, καὶ ἃ πρὸς ταῦθ᾽ ὑμᾶς μνημονεύοντας μὴ ἐπιτρέπειν προςήκει, πολλὰ λέγειν ἔχων ἔτι, καὶ ταῦθ᾽ ἱκανὰ εἶναι νομίζων, ἐάσω.* Quae cum ita sint, quaeri potest, num suo loco particula illa media, qua senatorum preces refelluntur, i. e. §§ 38.—41., posita sit, ac non post finem § 46.

collocari debuerit, ne, quae sua natura coniuncta sint, separentur. Placere hoc cuipiam poterit. Nec tamen in alium quam quem traditum habemus ordinem tres illas particulas redigere orator potuit, quia tertia particula (qua Androtionem quod pecunias quondam severius exegerit calamitati sibi fore querentem orator inducit) ad alteram totius orationis partem (quae de ratione, qua Androtion in republica administranda usus sit, est) sermonem traducit. Accedit, quod sententia illius mediae particulae bene accommodata est antecedentibus verbis; nam, cum prima particula Androtionem pro senatu verba facientem orator fingat, ea, quae sequitur, Androtionis collegas idem facturos esse suspicatur.

Sed nondum de his verbis disputatio finiri potest. Blassius enim, mediam illam, de qua diximus, particulam totam excidere ex sententiarum conexu putat, cum propterea, quod supra in partitione huius orationis (§ 3.) eius particulae sententiam orator non indicaverit, tum propter praecipitem transitum in § 42., ubi pronomine, quod est *αὐτόν*, Archias ille, de quo orator ante locutus est, non Androtion, qui debuit quique nominatim appellandus fuit, significatur. Cui Blassii opinioni plura sunt obicienda. Ac primum quidem, quam arte sententia illius particulae, quae in disceptationem venit, cum antecedenti particula coniuncta sit, iam supra vidimus, neque eam ob rem mirabimur, quod in huius orationis partitione illius ratio nulla habita est. Deinde facere non potuisse oratorem, quin senatores pro senatu deprecaturos esse exspectaret ac pro virili parte eas preces infringeret, concedendum est. Tum, quod idem vir doctus postea illa inserta esse suspicatur, quaerendum nobis est, a quo inserta esse putari possint. Sine dubio ab eo, qui res accuratissime cognitas haberet, atque etiam nomina eorum, qui deprecati sunt, memoria teneret; unde efficitur, ut non ita multo post actam causam inserta esse illa verba putanda sint. Sed tamen, ut verba, quae § 38. leguntur, haec: *ἴσως ἀναβήσεται καὶ συνερεῖ τῇ βουλῇ Φίλιππος καὶ Ἀντιγένης καὶ ὁ ἀντιγραφεὺς καί τινες ἄλλοι*, accurate consideremus, quaero, num probabile sit, ita dubiose locuturum fuisse ora-

torem, si, quinam exstitissent, iam scivisset. Nam etiamsi in voce quae est ἴσως ne sic quidem offendendum esset, tamen verba, quae adduntur, καί τινες ἄλλοι mirationem facerent, quia non ita multos fuisse probabile est, sed paucos, quorum nomina sine dubio omnium nominasset. Itaque ante habitam orationem scripta esse et suum locum tenere videntur illa quidem verba, quae §§ 38. et 39. continentur, sed ea, quae §§ 40. et 41. leguntur, sola Blassii damnatione tanguntur, quod quidem ad praecipitem illum transitum, qui est in voce ‚αὐτόν' (§ 42.), attinet. His enim verbis eiectis durities illa, quae est in vocula ‚αὐτόν', tollitur, quia ‚αὐτόν' ad plures, de quibus in antecedentibus paragraphis agitur, omnino revocari non potest eamque ob rem nemo nisi reus intellegi potest. Quae sententia eo firmatur, quod, cum ceterae tres particulae omnes adhortatione ad iudices facta absolvantur, haec sola particula illa adhortatione caret. Praeterea ea ipsa, quae de Archiae ἐπιεικείᾳ prolata sunt, non videntur esse ita comparata, ut praesciri potuisse ea ab oratore probabile sit, priusquam ille verba fecisset. Mihi quidem ἐπιείκειαν suam Archias in oratione prae se tulisse videtur, quam hic oratorem ridere videmus. Quid igitur probabilius esse potest, quam, postquam Archias orationem suam protulisset, §§ 40. et 41. esse insertas. Neque tamen, etsi post habitam orationem inserta esse illa verba videntur, a librario vel rhetore temporis posterioris conscribi potuerunt, sed non ita multo post causam peractam ab eo, qui illarum rerum notitiam haberet. Neque quidquam nos impedit, quominus ab ipso Demosthene scripta et schedis orationis suae adiuncta esse illa verba suspicemur, idque eum fecisse putabimus eo consilio, ut, si quando hanc orationem ederet, diligentius illius loci tenori illa verba accommodaret. Quod cum factum non esse videamus, sequitur, ut illa verba, quamquam scripta a Demosthene, non tamen, qua erat cura et diligentia, inserta esse in orationis tenorem putandum sit. Sed a quo inserta sint, infra videbimus.

Quae inde a § 42. usque ad § 46. legimus, nihil habent difficultatis.

§ 46. verbis his: *καὶ περὶ μὲν τούτων, ὃν τρόπον ὑμᾶς ἀπαγαγὼν ἀπὸ τοῦ νόμου παρακρούεσθαι ζητήσει, καὶ ἃ πρὸς ταῦθ' ὑμᾶς μνημονεύοντας μὴ ἐπιτρέπειν προσήκει, πολλὰ λέγειν ἔχων ἔτι, καὶ ταῦθ' ἱκανὰ εἶναι νομίζων ἐάσω,* totam partem priorem, quae proprie ad causam agendam pertinet, absolvit. Qua in conclusione propter *μὲν* voculam inest, nondum finitam esse orationem, quod qnanti momenti sit memoria tenere, statim videbimus.

§ 47. altera pars, quae in partitione huius orationis verbis, quae sunt: *περὶ ὧν οὗτος δημοσίᾳ πεπολιτευμένος οὐκ ὀλίγα ὑμᾶς ἔβλαψεν* (§ 3.), significata est, sic incipit: *Βούλομαι δὲ καὶ τὰ πολιτεύματα ἐξετάσαι τοῦ καλοῦ κἀγαθοῦ τούτου, δι' ὧν οὐκ ἔσθ' ὅτι τῶν δεινοτάτων ἐλλείπων φανήσεται.* Quae pars usque ad finem orationis, quem traditum habemus, pertinet. Sed cum totam hanc partem etiam in Timocratea iisdem fere verbis expressam legamus, quaeritur, ubi tandem suum locum primarium habeat. Iam cum inde, quod modo indicavi, tum si comparabimus ea, quae in Androtionea legimus, cum iis, quae in Timocratea inveniuntur, intellegemus, non posse illa verba separari ab Androtionea, id quod ex altera huius dissertationis parte, quae proprie ad Timocrateam pertinet, evidentius elucebit. Cui sententiae impedimento esse primo obtutu videntur duo loci, qui in Androtionea traduntur, quamquam ibi intolerabiles, Timocrateae autem soli accommodati sunt. Ex his locis unus est Androtioneae § 67., cui Timocrateae § 174. respondet. Quae verba si quis consideraverit, in Androtionea ferri non posse intelleget, cum plurali numero verborum, quae sunt *μετέχουσι, ὑφαιροῦνται, καρποῦνται,* in Androtionea, ubi de uno Androtione agitur, nullus locus sit; contra habere suum locum in Timocratea apparet. Quam ob rem ad tollendam hanc difficultatem duplicem viam viri docti ingressi sunt. Nitschius[1]) enim pluralem in singularem numerum mutat, Funkhaenelius[2]) autem verba ab *,ὅτι τούτων μὲν μετέχουσι'*

1) De traiciendis partibus in Demosth. oratt. Thes. 5.
2) In Iahnii annalibus a. 1856.

usque ad ‚οὐγὼ λέγω‘ eicit ex Androtionea, neque utroque modo stare sententiam negari potest. Sed uter eorum propius ad veritatem accesserit, difficile est diiudicatu. Alter locus est Androtioneae § 74., cui Timocrateae respondet § 177. Quae verba et ipsa in Androtionea intolerabilia sunt. Neque vero hic locus mera correctione Androtioneae tenori accomodari potest, sed praeterea opus est eicere verba, quae sunt: *ὥσθ' ὁ μὲν οἴεται δι' ἐκεῖνον ὑφ' ὑμῶν σωθήσεσθαι, ὁ δὲ παρακάθηται καὶ οὐ καταδύεται τοῖς πεπραγμένοις,* quod utrumque fecit Nitschius. Spengelius[1]) autem, simpliciore medicina usus, totum locum ut interpolatum ex Androtionea eicit. Mihi vero haec quoque lis in medio esse relinquenda videtur.

Postquam Demosthenes, qua ratione Androtion in republica administranda usus esset, exposuit, desinit oratio inexspectato. Deest omnis recapitulatio, omnis conclusio, omnis adhortatio, et quaeritur, utrum fuerint quondam illae partes et nescio quomodo interierint, an defuerint a primis initiis. Iam si morem et usum Demosthenis contemplamur, nullam fere illius orationum ac ne deuterologiarum quidam ullam carere peroratione praeter orationem in Onetorem habitam alteram invenimus. Ob quam unam orationem Blassius putat potuisse fieri, ut Androtionea quoque a primis initiis ea conclusione caruerit, praesertim cum ultima, quae tradita habemus, verba summa cum elatione animi proferantur. Sed vide, quam sibi ipse contrarius sit Blassius, qui in libro[2]), quem supra laudavimus, haec scripsit: ‚Es ist längst hervorgehoben, dass die eigentümlich attische Sitte für den Schluss einer Rede, gleichwie für den einer Tragödie, eine möglichst ruhige und würdevolle Haltung verlangte; dieser Regel kommen die demosthenischen Demegorien fast alle nach, mag auch dieser ruhige Epilog noch so kurz sein. — Für die Gerichtsreden ist der regelrechte Schluss die Aufforderung an die Richter, den geschehenen Darlegungen gemäss zu

1) In Philologi vol. XVII.
2) Attische Beredsamkeit, vol. III. pars I, p. 191.

stimmen, und die Aufforderung muss ja ruhiger sein; sie kann sich indess wie in der Gesandtschaftsrede an eine kräftige Ansprache anschliessen, deren Wirkung für den Schlussatz nur für den Moment gedämpft wird. Oft, wie in der Leptinea und in einigen Privatreden, steht zu Ende eine wiederkehrende feste Formel, dass der Redner hiermit alles gesagt; die vorhergehende Ermahnung an die Richter ist gerade in der Leptinea besonders lebhaft.' Itaque cum Nitschio exitum Androtioneae deesse, sed fuisse quondam suspicabimur. Neque obliviscendum est, non hac solum parte hanc orationem mancam esse, sed etiam post § 20. satis amplum membrum interiisse, id quod iam supra demonstravimus. Sed nunc quaeritur, quomodo et quo tempore haec oratio perorationem suam amiserit. Quam perorationem nullo vestigio relicto interiisse et verborum tenorem in ipso fine argumentationis abruptum esse post editam orationem, quis sibi persuadebit? Mihi quidem iam antequam edita esset, conclusio interiisse videtur, ut hic idem, quod in § 20. huius orationis factum est, acciderit, id quod ponere licebit, si meminerimus, Demosthenem orationem continuo ordine scriptam Diodoro tradidisse, retinuisse vero schedas, quibus singulis singulas fortasse partes orationis mandavisset. Ex his autem schedis oratio, quam nos traditam habemus, edita esse videtur, quod cum longo intermisso temporis spatio factum sit, satis intellegitur, quam facile una alterave ex illis schedis interire potuerit.

Restat, ut quid hac dissertatione effectum sit, animo complectamur. Duabus partibus hanc orationem mutilatam, tertium locum, quamquam a Demosthene scriptum, tamen non ab eodem insertum esse vidimus. Neque vero hoc post editam orationem factum est, sed ea fere forma, qua eam traditam habemus, edita esse videtur. Unde efficitur, non a Demosthene, cuius cura et diligentia in proverbium paene abiit, eam editam, sed adnumerandam esse eis orationibus, quas non ab ipso Demosthene, fortasse post eius mortem demum foras emissas esse viri docti probaverunt. Quam

meam sententiam quoquomodo viri docti accipient, id satis habeo demonstrasse, Androtioneam, quamquam tribus partibus ab ea forma, qua scripta et habita sit, sine dubio degeneraverit, tamen multo minus mutilatam vel mutatam esse, quam nonnulli opinati sunt, ea autem, quae in singularum particularum exordiis contortis displicere cuipiam possunt, inde causam et originem trahere, quod haec oratio quodammodo totius actionis confutatio est.

II.

DE TIMOCRATEA.

Coniuncta cum Androtionea eius orationis, quam Demosthenes in Timocratem, Androtionis satellitem, eidem Diodoro causam agenti conscripsit, et ratio et investigatio est. Cum autem in priore causa Euctemonem primas, secundas Diodorum partes suscepisse videamus, in hac actores ordinem mutaverunt. Itaque Androtioneam *δευτερολογίαν* quae vocatur, Timocrateam autem *πρωτολογίαν* esse consentaneum est. Quare mirari non possumus, quod in Timocratea uberius et copiosius res tractatur quam in Androtinea. Neque defuerunt, qui hanc quoque orationem variis de causis vituperaverint, quorum virorum iudicia breviter adumbrare utile videtur, priusquam ad orationem ipsam accuratius tractandam accedam.

Atque qui primus Timocrateae compositionem reprehendit, Benselerus[1]) mediam illam partem, quae inde a § 110. usque ad § 187. *οἶδα δ' ὅτι* pertinet, eicit, cum propterea quod ex ceteris eiusdem orationis partibus earundem sententiarum eaedem formationes multae repetantur, id quod a Demosthenis usu longe abhorreat, tum quod vocalium inter voces concursus contra morem Demosthenis evitatus non sit. Huc accedit, quod in § 187. post verba, quae sunt *οἶδα δ' ὅτι*, inexspectato oratio ad Timocratem transit, cum antecedentis enuntiati subiectum Androtion sit. Quibus ra-

[1]) de hiatu, p. 123 seqq.

tionibus adductus Benselerus totam illam partem postea esse insertam atque, quae non ex Androtionea (§ 160.—§ 186.) huc quodammodo irruperint, ea ex Euctemonis, Diodori subscriptoris, oratione assumpta esse suspicatur. Quam sententiam maxima ex parte probavit A. Schaeferus, ita tamen, ut illius mediae orationis interpolatae partem priorem non ex Euctemonis oratione esse haustam, sed primo scriptam vel iactam a Demosthene locoque illo ex Androtionea ita assumpto, ut, quorum criminum in Androtionea Androtionem solum accusari videmus, iisdem in Timocratea una cum Androtione Timocrates oneraretur, auctam, deinde in causa non habitam sed in commentariis relictam esse pluribus argumentis demonstraret. Sed, ut accuratius, quid velit, perspiciamus, eum ipsum audiamus: Meine Ansicht geht vielmehr dahin, dass D. seinen Entwurf darauf angelegt hatte, mit Timocrates zugleich jene drei Gesandten, die ihn vorgeschoben hatten, namentlich Androtion zu treffen und nach Aufhebung des timocrateischen Gesetzes sie ins Gefängnis wandern zu lassen. Da leisteten jene die Zahlung, und Diodorus, des Demosthenes Schützling, konnte nun seinem Hauptfeinde nicht mehr beikommen. In Folge dessen überarbeitete D. die Rede in der Weise, dass er aus dem Entwurfe des zweiten Teiles mehreres in den ersten herübernahm, in den Beweis der Gesetzwidrigkeit, und überhaupt die Rede der veränderten Situation anpasste. So entstand eine doppelte Recension der Rede, die eine kürzere von letzter Hand, in allen Teilen sorgsam ausgeführt: die andere leicht hingeworfen, aber voll wirksamer Ausfälle gegen Androtion und seine Genossen. Diese beiden Recensionen wurden zusammengezogen: sei es dass Diodorus selber aus Hass gegen Androtion die Rede in solcher Gestalt in Umlauf setzte, oder dass ein anderer sich darüber machte sie so vollständig wie möglich herzustellen und von dem Entwurfe des D. nichts preiszugeben. Darüber mag ausgeschieden sein, was D. in der Schlussredaction gegen die Fürsprecher des Timocrates geschrieben hatte.[1])

1) Demosthenes und seine Zeit III 2, p. 65.

Schaefero Nitschius[1]) ita assentitur, ut § 157. med. — § 187. init. (*οὐ γὰρ ἁπλῶς* aut *οὐχ οὗτοι μόνον* — *οἶδα δ' ὅτι*) interpolatas esse velit. Contra Schaeferum Spengelius[2]) exstitit, ut orationem in Timocratem habitam non ex pluribus membris diversis conglutinatam, ad uno et perpetuo tenore conscriptam et unam esse, si modo in § 187. pro ‚*ἃ δὲ*' scriberetur ‚*εἰ δή*', nos doceret. Cuius viri argumentis non probatis Blassius[3]) in libro, quem supra laudavimus, maxima ex parte Schaefero, cuius argumenta auxit ac firmavit, ita assentitur, ut, quod ille de editore huius orationis suspicatur, in medio relinquere videatur.

Vides, in duas potissimum partes discedere virorum doctorum sententias: ab altera stant Benselerus, Schaeferus, Nitschius, Blassius, ab altera solus Spengelius. Illi partim iisdem, partim diversis rationibus nisi mediam illam partem, quae in disceptationem venit, ex totius orationis tenore excidere, hic autem deesse non posse putant. Ac ne illi quidem plane inter se consentiunt, sed singuli suam quisque sententiam sequuntur. Nam illam partem mediam, cum omnes ab oratione in causa habita alienam esse consentiant, Benselerus a Demosthene abiudicat, ceteri ei vindicant, Schaeferus et Blassius uno tenore fluere, Nitschius duplicem originem habere iudicant. Ac ne Spengelium quidem tanquam explosum neglegemus, praesertim cum argumenta eius digna, quae respiciantur, nondum examinata nedum refutata sint. Quae cum ita sint, retractare hanc quaestionem operae pretium visum nobis est, atque primum efficere, quis tandem proxime ad veritatem accesserit, deinde eius partis, quae maxime in quaestionem venit, disquisitionem diligentiorem instituere, quam adhuc est factum, in animo est.

Nec vero ita hanc disputationem instituemus, ut perpensis singulorum rationibus quae verae, quae secus sint, diiudicemus, sed de integro rem tractare multo utilius nobis videtur, idque ita, ut dissolvendis quodammodo orationis

---

1) De traiciendis partibus in D. orationibus, Thes. 5.
2) Philologus, vol. XVII.
3) Attische Beredsamkeit, vol. III.

membris eas maxime partes accuratius consideremus, ex quibus ad disputandum in hanc vel illam partem aliquid utilitatis lucisque redundet. Atque cum ad illam, quam significavi, litem dirimendam maximi momenti sit, quae orationis partes in causa pronuntiatae esse, quae neglectae iacuisse videantur, quaerere, cumque haec quaestio separari non possit ab illa, utrum solutis iam pecuniis ab Androtione eiusque sodalibus aerario debitis an non solutis singulae partes scriptae esse videantur, consociare hanc quaestionem cum ea, quam de conexu et collatione singularum partium nos instituturos promisimus, utile esse videtur.

Atque, ut, quod primum est cuiusvis orationis, inde initium faciam, prooemium Timocrateae, quod §§ 1.—16. continetur, tribus particulis constat, ex quibus prima usque ad § 5. pertinet hisque verbis absolvitur: *τὸ μὲν οὖν πρᾶγμα περὶ οὗ δεῖ νῦν ὑμᾶς γνῶναι, ὡς ἐν κεφαλαίῳ τις ἂν εἴποι, τοῦτ᾽ ἐστίν,* quae verba autecedentium verborum sententiam complectuntur. Huius particulae primo initio Timocrates pecuniis non paucis rempublicam privare lege sua voluisse inducitur (*χρημάτων οὐκ ὀλίγων ἀποστερῆσαι βουλόμενος τὴν πόλιν νόμον εἰςήνεγκεν*). Progrediente autem oratione de consilio legislatoris orator haec dicit: *τὴν ὑμετέραν ψῆφον λύει καὶ ποιεῖ τοῦ μηδενὸς ἀξίαν ὁ τουτουὶ νόμος ἵνα τῶν πολὺν χρόνον ὑμᾶς τινες ἐκκεκαρπωμένων καὶ πολλὰ τῶν ὑμετέρων διῃρπακότων μηδ᾽ ἃ κλέπτοντες φανερῶς ἐλήφθησαν καταθῶσι,* ad quae Blassius recte adnotat, ex verbi, quod est *καταθῶσι*, forma effici Androtionem eiusque sodales eo tempore, quo haec scripta sint, nondum solvisse aerario debitas pecunias, quia alias orator ‚*καταθεῖεν*' scripturus fuerit, quamquam praesentis temporis formae, quae sunt *λύει* et *ποιεῖ*, antecedant. Cuius rei simillimum exemplum apud Demosthenem a Kruegero grammatico inventum est hoc: *τοῦτον τὸν τρόπον ἔχει ὁ νόμος, ἵνα μηδ᾽ ἐξαπατηθῆναι γένοιτο ἐπὶ τῷ δήμῳ.* Neque vero ex illo loco efficitur, utrum nihil omnino pecuniarum debitarum rei solverint, an simplicibus iam solutis pecuniis duplicatas decuplatasque multaticiarum nomine etiam tum debuerint. Sed,

quoquo modo ea res se habet, satis est demonstrasse, tum, cum ea verba scripta sunt, Androtionem eiusque sodales aerario debuisse pecunias quasdam.

Altera prooemii particula, quae his verbis incipit (§ 6.): *ἵνα δ' ὑμῶν μηδεὶς θαυμάζῃ τί δή ποτ' ἐγὼ μετρίως, ὥς γ' ἐμαυτὸν πείθω, τὸν ἄλλον χρόνον βεβιωκὼς νῦν ἐν ἀγῶσι καὶ γραφαῖς δημοσίαις ἐξετάζομαι, βούλομαι μικρὰ πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν· ἔσται δὲ ταῦτ' οὐκ ἀπὸ τοῦ πράγματος*, actor, quae causa sibi cum Androtione inimicitiarum intercesserit, ad iudicum misericordiam captandam paucis explicat. Quam digressionem ad ipsum proprie pertinentem concludit sic (§ 8.): *ἦλθον ἐπ' αὐτὸν μετ' Εὐκτήμονος, ἡγούμενος ἁρμόττοντ' εἰληφέναι καιρὸν τοῦ βοηθῆσαί θ' ἅμα τῇ πόλει καὶ τιμωρίαν ὑπὲρ ὧν ἐπεπόνθειν λαβεῖν. βουλοίμην δ' ἂν ἐμέ τε τυχεῖν ὧν βούλομαι, τοῦτόν τε παθεῖν ὧν ἄξιός ἐστιν*, quae verba scripta esse, antequam Androtion pecunias cunctas aerario persolveret, recte Blassius collegit.

Statim post hanc digressionem orator mediam in rei narrationem incidit his verbis: *τοῦ δὲ πράγματος οὐκέτ' ὄντος ἀμφισβητησίμου* seqq. Neque enim verbis, quae antecedunt, priorem partem narrationis, quae verbis ‚*τοῦ δὲ πράγματος οὐκέτ' ὄντος* seqq.' continuetur, contineri nobis persuadere possumus, quia verba, quae sunt *ἦλθον ἐπ' αὐτὸν μετ' Εὐκτήμονος* non tantum ad primum Euctemonis et Diodori in Androtionem impetum spectant, sed cum ad universas, quas illi Androtioni intenderunt, actiones, tum maxime ad novissimam, quam in Timocratea oratione institui videmus. Quae illis verbis sententia eam ob rem subest, quia verba proxime insequentia, quae sunt *βουλοίμην δ' ἂν ἐμέ τε τυχεῖν ὧν βούλομαι, τοῦτόν τε παθεῖν ὧν ἄξιός ἐστιν*, ad causam pertinent novissimam. Et tamen orator ita pergit: *τοῦ δὲ πράγματος οὐκέτ' ὄντος ἀμφισβητησίμου*, quae verba haberent, quo referrentur, si illud ‚*ἦλθον ἐπ' αὐτόν*' de primo tantummodo Diodori in Androtionem impetu intellegerentur, quod propter verba, quae sequnntur, ‚*βουλοίμην δ' ἂν ἐμέ τε τυχεῖν ὧν βούλομαι, τοῦτον τε παθεῖν ὧν ἄξιός ἐστιν*' fieri nequit. An, quae paullo ante ad novissimam causam specta-

verunt, eadem continuo ad priorem et aliam causam referri credemus? Quod si fieri nequit, nihil restat, nisi ut huic loco, qui a verbis ,τοῦ δὲ πράγματος' incipit, priorem narrationis partem deesse putemus, quia sine dubio inde ab his verbis oratio ita formatur, quasi prior pars narrationis antecedat. Neque tamen, ut hoc iam nunc dicam, librariorum culpa id vitium admissum est, sed oratoris ipsius consilio, de quo infra exponam. Ceterum omnia, quae inde a verbis, quae sunt *τοῦ δὲ πράγματος*, usque ad ,*λῦσαι δυναίμεθα*' (§ 10.) proferuntur, priusquam Androtion pecunias debitas aerario persolveret, scripta esse Blassio recte videntur, propter verba, quae sunt *τίθησι τουτονὶ τὸν νόμον, δι' ὧν τῶν ἱερῶν μὲν χρημάτων τοὺς θεούς, τῶν ὁσίων δὲ τὴν πόλιν ἀποστερεῖ, ἄκυρα δὲ τὰ γνωσθένθ' ὑπὸ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου καὶ τοῦ δικαστηρίου καθίστησιν.*

Inde a § 10. verbis, quae sunt *ἐξ ἀρχῆς οὖν ἐν βραχέσι τὰ πραχθέντα δίειμι πρὸς ὑμᾶς, ἵνα μᾶλλον μάθητε καὶ παρακολουθήσητε τοῖς περὶ τὸν νόμον αὐτὸν ἀδικήμασιν,* tertia prooemii pars, qua narratio rei continetur, incipit, quae usque ad § 16. pertinet. Cuius particulae verba, quae sunt (§ 16.) *τῶν χρημάτων ἐκείνοις τοῖς χρόνοις δραχμὴν οἱ κατέθηκαν ὑμῖν,* ostendunt, tum, cum scripta sunt, iam solutas esse pecunias illas. Totane igitur haec particula alteri, ut ita dicam, recensioni huius orationis vindicanda erit? Si omnia tam arte inter se cohaerent, ut divelli non possint, non negaverim. Sed videndum est, num ea omnia eodem cursu fluant. Quod equidem non tam facile concesserim. Nam post verba, quae sunt *ἔδωκε. γνώμην Εὐκτήμων ὡς δυνατὸν δικαιοτάτην, ὑμᾶς μὲν εἰςπράττειν τοὺς τριηράρχους, ἐκείνοις δ' εἶναι περὶ αὐτῶν εἰς τοὺς ἔχοντας ἀναφοράν. ἐὰν δ' ἀμφισβητῆταί τι, ποιεῖν διαδικασίαν, τὸν δὲ ἡττηθέντα τοῦτον ὀφείλειν τῇ πόλει,* exspectamus oratorem, quid senatus, quid populus de Euctemonis sententia decreverit, diserte dicturum esse. Nihil tale legimus, sed mira breviloquentia usus orator statim sic pergit: *γράφονται τὸ ψήφισμα· εἰς ὑμᾶς εἰςῆλθεν· ἵνα συντέμω* seqq. quibus verbis *γραφή* illa *παρανόμων* intellegenda est, quam Androtion eiusque sodales

in Euctemonem instituerunt. Neque vereor, ne vocabulo, quod est ψήφισμα, Euctemonis sententiam a senatu populoque comprobatam esse indicari opponas, neve, quod proxime insequitur, ‚ἵνα συντέμω‘ ita premas, ut ad antecedentia quoque ac non tantummodo ad sequentia, quo debet, referatur. Neque tamen hoc loco interstitium librariorum culpa factum esse puto, sed hoc sicut illud, de quo supra dixi, oratori ipsi attribuendum est. Quin etiam utrumque eidem consilio oratoris adscribimus. Neque enim dubitare possumus, quin omnia haec se bene haberent, si verba, quae sunt τοῦ δὲ πράγματος οὐκέτ᾽ ὄντος ἀμφισβητησίμου — δυναίμεθα exciperent illa, quae priorem narrationis partem conficiunt et verbis absolvuntur his: ἐὰν δ᾽ ἀμφισβητῆταί τι, ποιεῖν διαδικασίαν, τὸν δὲ ἡττηθέντα τοῦτον ὀφείλειν τῇ πόλει (§ 11.—13.). Itaque priorem narrationis partem, quam verba ‚ἐξ ἀρχῆς οὖν ἐν βραχέσι — ὀφείλειν τῇ πόλει‘ continent, non posteriori, ut ita dicam, recensioni orationis, sed priori commentario vindico, vel potius tam priori quam posteriori, quia orator ipse, quae prior pars prioris commentarii fuerat, eandem postea in alteram orationem transtulit, cum posteriorem prioris narrationis partem, mutato rerum statui iam non aptam, non accommodandam sed neglectam relinquendam esse putaret, pro qua novam partem, quam inde a verbis ‚γράφονται τὸ ψήφισμα‘ traditam habemus, substitueret. Quod cum faceret, facili incuria inter verba ‚ὀφείλειν τῇ πόλει‘ et ‚γράφονται‘ membrum omittere potuit. Verba autem ‚τοῦ δὲ πράγματος — δυναίμεθα‘, cum orator in commentariis orationis reliquisset, totius orationis editor — neque enim a Demosthene ipso editam esse hanc orationem ego cum Schaefero iudico — non eiecit, sed ne quid Demosthenis verborum interiret, integra reliquit. Accedit ad firmandam disputationem nostram, quod intellegi non potest, cur Demosthenes in prioro oratione tam brevi narratione, qualem verbis ‚τοῦ δὲ πράγματος — δυναίμεθα‘ contineri videbamus, contentus fuerit. Eadem, quae horum verborum, fortuna eorum, quae sunt βουλοίμην δ᾽ ἂν ἐμέ τε τυχεῖν ὧν βούλομαι, τοῦτον τε παθεῖν ὧν ἄξιός ἐστιν, fuisse videtur,

quae verba, cum in posteriorem orationem non quadrarent, neglegenda censuisse neque in alteram orationem transtulisse Demosthenes putandus est; sed eadem ab editore totius orationis una cum ceteris tradita nobis sunt.

Iam, quo quodque prooemii membrum tempore conscriptum sit, complectar. Priusquam aerario debitas pecunias Androtion eiusque sodales solverent, scripta esse et prioris orationis membra fuisse haec videntur: § 1.—5. § 6.—9. (*τοῦ τόν τε παθεῖν, ὧν ἄξιός ἐστιν*), § 10. (*ἐξ ἀρχῆς οὖν ἐν βραχέσι*) — 13. (*ὀφείλειν τῇ πόλει*) § 9. (*τοῦ δὲ πράγματος* — 10. (*δυναίμεθα*), qua in enumeratione eum ordinem servavi, quem orator esse eorum verborum voluit. Ex his quatuor membris quartum orator in alteram orationem transferendum non esse censuit, primum et alterum et tertium transtulit, atque primum quidem integrum (nam illud, de quo supra diximus, ‚*καταθῶσι*', etsi mutato rerum statui non convenit, tamen ut leve prioris rerum status vestigium neglegere facile potuit), ex altero autem membro enuntiatum, quod est *βουλοίμην δ' ἂν ἐμέ τε τυχεῖν, ὧν βούλομαι, τοῦτον τε παθεῖν ὧν ἄξιός ἐστιν*, tollendum esse censuit, tertium denique membrum iis verbis, quae inde a verbo ‚*γράφονται*' usque ad finem prooemii legimus, auxit.

§ 17. ad causam ipsam se convertens orator sic pergit: *Βούλομαι δὴ μικρὰ διεξελθὼν περὶ τῶν κειμένων νόμων, καθ' οὓς εἰσιν αἱ τοιαίδε γραφαί, περὶ αὐτοῦ τοῦ νόμου λέγειν ὃν γέγραμμαι· γενήσεσθε γὰρ εὐμαθέστεροι πρὸς τὰ λοιπὰ ταῦτα προακούσαντες.* Duo igitur, de quibus acturus sit, orator proponit; primum, quibus legibus lex Timocratea accusari possit, deinde de ipsa Timocratis lege dicturum se pollicetur. Quem cursum orationis quam constanter tenuerit videbimus. Ac primum quidem, quomodo, quae sequuntur verba, ad priorem illius propositionis partem spectent, cognoscamus. Sequuntur autem haec verba: *ἔστιν, ὦ. α. Α., ἐν τοῖς οὖσι νόμοις ἡμῖν κυρίοις διωρισμένα ἀκριβῶς καὶ σαφῶς πάνθ' ὅσα δεῖ ποιεῖν περὶ τῶν μελλόντων τεθήσεσθαι νόμων. καὶ πρῶτον μὲν ἁπάντων χρόνος ἐστὶ γεγραμμένος, ἐν ᾧ προσήκει νομοθετεῖν· εἶτ' οὐδὲ τόθ' ὡς ἂν*

ἑκάστῳ δοκῇ δέδωκε τοῦτο πράττειν, ἀλλὰ προςτάττει πρῶτον μὲν ἐκθεῖναι πρόσθε τῶν ἐπωνύμων γράψαντα, σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ, μετὰ ταῦτ᾽ ἐπὶ πᾶσι τὸν αὐτὸν νόμον τιθέναι κελεύει, πρὸς τούτοις λύειν τοὺς ἐναντίους, ἄλλα περὶ ὧν οὐδὲν ἴσως ὑμᾶς κατεπείγει νῦν ἀκοῦσαι. ἂν δέ τις ἓν παραβῇ, τῷ βουλομένῳ δίδωσι γράφεσθαι. εἰ μὲν οὖν μὴ πᾶσιν ἦν ἔνοχος τούτοις Τιμοκράτης καὶ παρὰ πάντα ταῦτα εἰςενηνόχει τὸν νόμον, ἓν ἂν αὐτοῦ τις ἐποιεῖτο κατηγόρημα, ὅτι δήποτε τοῦτ᾽ ἦν· νῦν δ᾽ ἀνάγκη καθ᾽ ἕκαστον χωρὶς περὶ ἑκάστου διελόμενον λέγειν. πρῶτον μὲν οὖν, ὅπερ ἠδίκησε πρῶτον, τοῦτ᾽ ἐρῶ, ὡς παρὰ πάντας τοὺς νόμους ἐνομοθέτει, εἶτα τῶν ἄλλων ἑξῆς ὅ τι ἂν βουλομένοις ὑμῖν ἀκούειν ᾖ. καί μοι λαβὲ τουτουσὶ τοὺς νόμους καὶ ἀνάγνωθι. In quibus verbis plura suspicionem meam movent. Miror enim, quod orator, priusquam leges, secundum quas novae leges ferri debeant, recitari iubeat, in universum de earum legum praeceptis disputat, quae disputatio infra § 24. seqq., postquam leges illae recitatae sunt, paucissimis mutatis et quibusdam additis redit. Praeterea verba illa, qnae sunt in § 19., ,νῦν δὲ ἀνάγκη καθ᾽ ἕκαστον χωρὶς περὶ ἑκάστου διελόμενον λέγειν', si recte intellego, aliter explicari non possunt, nisi ut orator seorsum de quatuor illis locis, quos modo attulit (καὶ πρῶτον μὲν ἁπάντων χρόνος — λύειν τοὺς ἐναντίους) disserere velle existimetur. Neque tamen in sequenti parte id facit; neque enim de tempore vel promulgatione novae legis separatim dixit, neque de tertio loco, qui significatus est his verbis: μετὰ ταῦτα ἐπὶ πᾶσι τὸν αὐτὸν νόμον τιθέναι κελεύει, omnino verba facit.[1]) Accedit, quod post illa verba, quae sunt: νῦν δ᾽ ἀνάγκη καθ᾽ ἕκαστον χωρὶς περὶ ἑκάστου διελόμενον λέγειν, praeter exspectationem non ad primum eorum locorum, quos modo proposuit, i. e. ad tempus rogationes ferendi, orator revertit, sed ad primam totius argumentationis partem.

---

1) Miror, quod Blassius in § 18. partitionem totius argumentationis quaesivit, cum argumentationis primae tantum partis materiam disponi illis verbis apertum sit.

Sunt autem verba haec: *πρῶτον μὲν οὖν, ὅπερ ἠδίκησε πρῶτον, τοῦτ' ἐρῶ, ὡς παρὰ πάντας τοὺς νόμους ἐνομοθέτει, εἶτα τῶν ἄλλων ἑξῆς, ὅ τι ἂν βουλομένοις ὑμῖν ἀκούειν ᾖ.* Neque tamen haec verba congruunt cum illa argumentationis totius partitione; nam, cum ibi duae tantummodo proponantur, his verbis, quae modo attuli, plus quam duae partes intellegendae sunt, quod ex verbis ‚*τῶν ἄλλων ἑξῆς*' elucet. Et profecto, tota huius orationis argumentatio non bipertita sed tripertita est, id quod mox videbimus. Quae difficultas, quomodo solvenda sit, ut infra maiore cum pondere fructuque demonstrem, iam nunc, quid quaestione mea effectum videatur, indicare mihi liceat. Demosthenes enim, posteaquam verba ‚*βούλομαι — διελόμενον λέγειν*' conscripsit, cum se de tertio loco (*ἐπὶ πᾶσι τὸν αὐτὸν νόμον τιθέναι κελεύει*) melius, ubi legis Timocrateae ipsius verba explicaturus esset, disputaturum, deque primo et altero loco, i. e. de tempore legislationis et de promulgatione legis, seorsum quidem omnino non posse dicere mox inveniret, mutasse consilium videtur, ut verba, quae a ‚*βούλομαι*' usque ad ‚*διελόμενον λέγειν*' pertinent, omittenda esse censeret. Itaque haec quidem verba neque priori neque posteriori orationi destinata esse videntur, sed, cum in commentariis relicta essent, ab editore orationis nobis tradita sunt.

§ 19. orator, ut ‚*ὡς παρὰ πάντας τοὺς νόμους ἐνομοθέται*' probet, recitari leges iubet, primumque de tempore, quo leges novae ferendae sint, pluribus disserit, quae particula usque ad § 31. pertinet. Tum verbis, quae sunt: *ὅτι δ' οὐ μόνον κατὰ τοῦτ' ἀδικεῖ* seqq., transit ad eam legem, ex qua novae legi, prius quam rata fieret, contrariae leges tolli debebant, quae disputatio usque ad § 39. verba, quae sunt: *ὡς μὲν οὖν ἔνοχος τῇ γραφῇ καθέστηκεν ἐναντίον εἰςενηνοχὼς τοῖς οὖσι νόμοις, οἶμαι πάντας ὑμᾶς ᾐσθῆσθαι,* pertinet.

Postquam autem, contra quas leges Timocrates peccaverit, explicatum est, orator statim ad alteram argumentationis partem transit his verbis: *ἵνα δὲ εἰδῆτε παρ' οἵους νόμους οἷον οὗτος εἰςήνεγκεν, ἀναγνώσεται* seqq. ut, cum

cum quibus legibus lex ipsa Timocratis repugnet, uberius explanet. Recitata Timocratis lege et electis ex ea duobus locis orator priori loco totique legi quinque leges, posteriori autem loco unam opponit atque legem, quam olim Timocrates idem tulit, longe diversam cum novissima comparat. Quam de legibus contrariis legi Timocrateae partem his verbis absolvit (§ 66.): *ὅτι μὲν τοίνυν καὶ παρὰ τούτους τοὺς νόμους καὶ παρὰ τοὺς προειρημένους καὶ μικροῦ δέω παρὰ πάντας εἰπεῖν τοὺς ὄντας ἐν τῇ πόλει, τέθεικε τὸν νόμον, οἶμαι δῆλον ἅπασιν ὑμῖν εἶναι,* quibus verbis vehementissimum in Timocratem impetum adiungit.

§ 68. orator tertiam argumentationis partem, qua legem Timocratis ipsam perniciosam esse demonstret, orditur his verbis: *ὡς τοίνυν οὐδ' ἐπιτήδειον νόμον ὑμῖν οὐδὲ συμφέροντ' εἰςενήνοχε, τοῦτ' ἤδη πειράσομαι νυνὶ δεικνύειν.* Itaque, postquam, quae virtutes in omni lege inesse debeant, breviter exposuit, singula legis Timocrateae capita unum post alterum castigat excepto ultimo, quod est: *περὶ δὲ τῶν ὠνουμένων τὰ τέλη καὶ τῶν ἐγγυωμένων καὶ ἐκλεγόντων καὶ τῶν τὰ μισθώσιμα μισθουμένων καὶ τῶν ἐγγυωμένων τὰς πράξεις εἶναι τῇ πόλει κατὰ τοὺς νόμους τοὺς κειμένους.* Neque tamen hoc quoque argumento oratorem hoc loco cum fructu uti potuisse quisquam negabit. Quid? quod initio eiusdem partis orator haec verba protulit (69.): *πολλαχόθεν μὲν οὖν ἄν τις ἔχοι τοῦτο διδάσκειν, μάλιστα δὲ τὸν νόμον ὃν τέθεικε διεξιών. ἔστι γὰρ οὐ τὸ μὲν αὐτοῦ καλῶς κείμενον, τὸ δὲ ἡμαρτημένον, ἀλλ' ὅλος ἐξ ἀρχῆς, ἀπὸ τῆς πρώτης συλλαβῆς μέχρι τῆς τελευταίας, ἐφ' ὑμῖν κεῖται?* Cum quibus verbis conferenda sunt haec (§ 71.): *ἐπίσχες· αὐτίκα γὰρ καθ' ἕκαστον ἀναγνώσει,* et ea quae infra § 110. leguntur: *πανταχόθεν μὲν τοίνυν δῆλός ἐσθ' ὅτι ταῦτ' ἔγραψεν ἐπιβουλεύσας, καὶ μετὰ τοῦ βουλεύσασθαι ταῦτ' ἀδικεῖ καὶ οὐ γνώμῃ διαμαρτών, μάλιστα δ' ἐκ τοῦ πάντα τὸν νόμον μέχρι τῆς ὑστάτης συλλαβῆς τοιοῦτον εἶναι.* Neque tamen utrum orator ex ultimo legis membro ad totam legem impugnandam hoc loco utilitatem percipere supersederit necne, pro certo affirmari potest, praesertim cum

ex totius partis conclusione (§ 90.) nihil in eam rem colligi possit, quia ibi ex septem locis antea tractatis tres tantummodo repetuntur; quod vitium et ipsum utrum oratoris neglegentiae cuidam an editoris librariorumve culpae tribuendum sit, diiudicare nequimus.

§ 91. orator tertiae partis principalis partem alteram orditur, ut, quomodo lex Timocratis civibus in universum nocere possit, duabus particulis explicet. Quae duae particulae in communi totius partis exordio (§ 91.) si non explanate, tamen dilucide proponuntur: *ὅτι τοίνυν ὅλην συγχεῖ τὴν πολιτείαν καὶ καταλύει πάντα τὰ πράγμαθ' ὁ νόμος, καὶ πολλὰς φιλοτιμίας περιαιρεῖται τῆς πόλεως, καὶ τοῦτο ῥᾳδίως ὑμᾶς νομίζω μαθήσεσθαι.* In quibus verbis non tria proponuntur, sed duo, cum tertius locus, qui est *πολλὰς φιλοτιμίας περιαιρεῖται τῆς πόλεως,* ceteros ambos amplectatur. E quibus argumentis, quod priore loco posuit, post id, quod posteriore collocavit, tractat, quodque in propositione verbis, ‚*καταλύει πάντα τὰ πράγματα*‘ significavit, id postea in tractatione verbis ‚*λυμαίνεται τὰς στρατείας καὶ τὰς ναυτικάς*‘ indicat, quodque in communi ambarum particularum exordio vocabulis ‚*συγχεῖ τὴν πολιτείαν*‘ appellat, id in proprie alterius particulae exordio verbis, quae sunt *τὴν διοίκησιν διαιρεῖ,* significat.

Sed iam § 102. tertii capitis altera pars absolvitur verbis his: *οὐ τοίνυν μόνον τὰ δικαστήρια ἄκυρα ποιεῖ τῶν προστιμημάτων, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀδικοῦσι τὰ κοινὰ δίδωσιν ἄδειαν, τὰς ὑπὲρ τῆς πόλεως στρατείας λυμαίνεται, τὴν διοίκησιν καταλύει, τοῖς κακούργοις καὶ τοῖς πατραλοίαις καὶ τοῖς ἀστρατεύταις βοηθοῦντα τέθεικε τὸν νόμον.* In quibus verbis plura mihi sunt offensioni. Ac primum quidem sermo hoc loco ita formatus est, quasi, quod altero loco positum est, id ea particula, quae modo absolvitur, expositum sit. Quod revera factum non est. Nam illud ‚*τοῖς ἀδικοῦσι τὰ κοινὰ δίδωσιν ἄδειαν*‘ ad §§ 88. et 89. refertur, qui locus ante priorem conclusionem (§ 90.) traditur. Aut igitur in particulae alterius comprehensione (quam comprehensionem vocibus ‚*οὐ τοίνυν μόνον*‘ sane ad prioris particulae sen-

tentiam summam orator referre potuit) artius coniungendum fuit id, quod primo loco h. e. *τὰ δικαστήρια ἄκυρα ποιεῖ τῶν προςτιμημάτων,* cum eo, quod altero loco positum est, h. i. *τοῖςἀδικοῦσι τὰ κοινὰ δίδωσιν ἄδειαν,* aut is locus, ad quem verba *,τοῖς ἀδικοῦσι τὰ κοινὰ δίδωσιν ἄδειαν'* referuntur quique nunc quidem ante § 90. legitur, post hanc paragraphum ponendus fuit. Neque dubitari potest, quin §§ 88. et 89. per se quidem tam ante § 90. quam post eam poni possint, cum conclusio, quae § 90. continetur, eius loci nullam rationem habeat, dummodo, qua fortuna transpositae sint, demonstrari possit.

Sed aliam quoque praebent verba § 102. difficultatem. Quam in eo esse video, quod uno tenore dicuntur atque quasi in eodem gradu sita sunt ea, quae iam antecedentibus verbis explicata sunt, i. e. (ut alterum locum nunc omittam) tertius et quartus locus (*τὰς ὑπὲρ τῆς πόλεως στρατείας λυμαίνεται, τὴν διοίκησιν καταλύει*) et, quod ut novum aliquid, ut proxime insequentibus verbis exponatur, proponitur, i. e. quintus locus (*τοῖς κακούργοις καὶ τοῖς πατραλοίαις καὶ τοῖς ἀστρατεύταις βοηθοῦντα τέθεικε τὸν νόμον*), qui locus copiosius usque ad § 107. tractatur.

Habes difficultates verborum, quae § 102. continentur, quae difficultates in eo cernuntur, quod *τοίνυν* vox conclusiva ut ita dicam, vi accepta a nobis est. Sed videamus, quae sententia oriatur, adversativa [1]) vi eaque, quae ad copulativam proxime accedit, supposita illi voculae, qui usus apud Demosthenem ipsum frequentissimus est. Quo fit, ut sermo ita formatus esse videatur, quasi antecedentibus verbis nihil nisi illud *,τὰ δικαστήρια ἄκυρα ποιεῖ τῶν προστιμημάτων'* tractatum sit, sequentibus autem tractanda, ut nova, proponantur reliqua cuncta. Neque plane simili transitione Demosthenem in § 79. usum esse taceo. Quam difficultatem, quamquam gravior iis, quas supra exposui, esse videtur, tamen facilius sanari posse spero. Nam si §§ 102.—107., quas subsequantur §§ 88. et 89., ante § 91. inserueris, quam bene omnia inter se congruant, miraberis.

---

1) Confer Krueger. synt. p. 327.

Ac ne illud quidem tum offensioni esse potest, quod, quo ordine (§ 102.) illos quatuor locos sequentibus verbis tractandos proposuit, eundem in tractatione ipsa orator non servat, nam idem in propositione § 91. neglectum esse vidimus. Quae si recte disputavimus, longe plura in oratione Timocratea perturbata esse videntur, quam adhuc a viris doctis monstrata sunt.

Iam argumentationis tertia pars finita est, qua, quam calamitatem lex Timocratea civibus afferre possit, orator demonstrat.

§§ 102. et 103. totam argumentationem, cur lex illa improbanda sit, orator concludit his verbis: *Βούλομαι τοίνυν ὑμῖν ἃ ὑπεσχόμην ἐν ἀρχῇ τοῦ λόγου, ἀπολογίσασθαι πεποιηκότα ἐμαυτόν. ἔφην γὰρ αὐτὸν ἐξελέγξειν κατὰ πάντα ἔνοχον ὄντα τῇ γραφῇ, πρῶτον μὲν παρὰ τοὺς νόμους νομοθετοῦντα, δεύτερον δὲ ὑπεναντία τοῖς οὖσι νόμοις γεγραφότα, τρίτον δὲ τοιαῦτα δι᾽ ὧν βλάπτει τὴν πόλιν.* In qua conclusione, cum dilucide tres argumentationis partes, quas orator tractaverit, discernantur, id memorabile est, quod se istam tripartionem in exordio proposuisse indicat. Neque enim ullo huius orationis loco talis tripartitio nunc invenitur, nedum ibi, ubi requirenda est, legatur. Nam iis verbis, quae totius argumentationis propositionem continere videntur (§ 17.), nihil nisi primus partitionis locus diserte significatur, alter autem in universum tantummodo adumbratur, cum tertii nulla mentio fiat. Nec tamen nobis persuadere poterimus, Demosthenem, cum disertis atque expressis verbis recapitulationem argumentationis ad exordium revocaret, adeo mente captum fuisse, ut, quid in exordio proposuisset, plane oblivisceretur. Aut igitur exordium aut conclusionem corruptam esse necesse est, cumque conclusio omnibus numeris absoluta sit atque optime se habeat, cumque argumentatio revera tripartita sit, restat ut accusemus exordium. Atque, — vides quam bene circuli disputationis nostrae conveniant — iam tum, cum tractaremus exordium, hoc nobis a nonnullis partibus suspectum visum est, eiusque eam partem, quae usque ad ‚*πρῶτον μὲν οὖν, ὅπερ ἠδίκησε πρῶτον*‘ pertinet, delen-

dam censuisse Demosthenem et editorem totius orationis nobis tradidisse ostendimus. Nunc vero ea verba, quae Demoshenes membrum exordii esse voluisse nobis visus est, quae sunt *πρῶτον μὲν οὖν, ὅπερ ἠδίκησε πρῶτον, τοῦτ' ἐρῶ, ὡς παρὰ πάντας τοὺς νόμους ἐνομοθέτει, εἶτα τῶν ἄλλων ἑξῆς, ὅ τι ἂν βουλομένοις ὑμῖν ἀκούειν ᾖ.*, si accuratius considerantur, ita comparata sunt, ut post partitionem, quae plus quam duobus locis constet, prolata esse videantur, quorum locorum ille, qui verbis ‚*ὡς παρὰ πάντας τοὺς νόμους ἐνομοθέτει*' indicatur, primus putandus sit. Quae cum ita sint, facere non possumus, quin ante verba, quae sunt *πρῶτον μὲν οὖν ὅπερ ἠδίκησε πρῶτον,* propositionem talem, ad quam et verba, quae sunt *πρῶτον μὲν οὖν ὅπερ ἠδίκησε πρῶτον* seqq., apte adiungi, et conclusio totius argumentationis recte revocari possint, excidere opinemur, atque excidisse quidem editoris huius orationis, quem saepius indicavimus, culpa.

Iam, si, quibus rationibus orator legem Timocrateam impugnaverit, animo complectemur, contigisse ei, ut eam infringeret atque damnaret, concedemus, neque quidquam de lege ipsa praeterea exspectabimus. Exspectamus tamen confutationem, qua, quae auctor legis eiusque sodales sui defendendi causa dicturi essent, in quantum coniectura prospici poterant, refutet. Quid vero sequitur in oratione quam traditam habemus? Gradationibus et amplificationibus orator scelus Timocratis auget, non semper aliis atque in argumentatione ipsa usus est argumentis. Quae cum ita sint, ea omnia, quae inde a § 110. usque ad § 186. tradita legimus, viris doctis cum illis, quas modo tetigi, de causis, tum aliis, quas statim explicabo, magnam suspicionem moverunt. Nos vero, ne disputatio nostra vacillet, singula membra tractabimus.

Ac primum quidem verba, quae inde a § 110. usque ad § 120. pertinent, quomodo cum tota, quae agitur, causa cohaereant, videamus. Coniuncta autem sunt cum autecedenti parte verbis his: *πανταχόθεν μὲν τοίνυν δῆλός ἐσθ' ὅτι τοῦτ' ἔγραψεν ἐπιβουλεύσας, καὶ μετὰ τοῦ βουλεύσασθαι*

ταῦτ' ἀδικεῖ καὶ οὐ γνώμῃ διαμαρτών, μάλιστα δ' ἐκ τοῦ πάντα τὸν νόμον μέχρι τῆς ὑστάτης συλλαβῆς τοιοῦτον εἶναι· οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἄκων οὐδὲν ἔθηκεν ὀρθῶς ἔχον οὐδ' ὡς ὑμῖν ἔμελλε λυσιτελήσειν. πῶς οὐκ εἰκὸς μισεῖν seqq., neque quidquam in his quidem verbis offensioni esse potest. Quae causa fuit, cur Blassius verba illa usque ad ‚*λυσιτελήσειν*' separata a sequentibus non priori orationi in commentariis relictae sed posteriori in causa habitae attribueret, cum neque hiatu vitioso, quo sequentia, laborent, et ad verba § 49. quae sunt: *τοῖς γὰρ ἄκουσιν ἁμαρτοῦσι μέτεστι συγγνώμης, οὐ τοῖς ἐπιβουλεύσασιν, ὃ σὺ νῦν εἴληψαι ποιῶν. ἀλλὰ γὰρ αὐτίκα ἐρῶ περὶ τούτων,* revocanda sint. Qui qua interpolatione facta cum verbis § 187., quae sunt *οἶδα δ' ὅτι* seqq., illa verba coniungat, ut infra videamus, nunc ea eo loco, quo tradita sunt, perapte dici indicasse satis habemus, quia cum subsequentibus verbis optime cohaerent. Neque vero inde, quod intra sex versuum spatium hiatus non inveniatur, ratio, cur suo loco moveantur, repeti potest, neque iam hoc loco orator promisso, quod § 49. fecerat, satisfecisse putandus est, quia omnino nihil in eam partem hoc loco, qui in disceptationem venit, disputantur neque quidquam amplius legitur, nisi repetitum verbum, quod est *ἐπιβουλεύσας*. Mihi potius verba § 49. ad ea spectare videntur, quae inde a § 160. leguntur, ubi explicatius de ea re disseritur.

Quoniam tota illa particula uno tenore fluere videtur, nunc, quae ibi exposita sunt, breviter complector. Ac primum quidem scelus Timocratis orator ita auget, ut, quem hominum pauperum nunquam miseritum sit, eundem ad homines divites omni poena liberandos legem, qua respublica magnis pecuniis privetur, tulisse gravissimis verbis efferat. Deinde Timocratis scelus eo maius esse, quod non futuri solum, sed etiam praeteriti temporis homines nefarios omnes poena liberaverit, exponit. Quod vero ad horum verborum dictionem attinet, Benselero et Schaefero id maxime offensioni est, quod orator nonnulla repetit, quae iam supra exposuit. Nam quae inde a § 113.—115. leguntur, eadem fere brevius

exposita iam § 113. seqq. te legisse memineris. Neque iniuria; nam quamquam enuntiatio illa, qua Timocrates cum Solone confertur, premenda non est, quamquam orator ipse § 114. (*καὶ τούτων ὀλίγῳ πρότερον ἠκούσατε τῶν νόμων*) orationem ad antecendentem locum i. e. ad § 105. refert, tamen neglegentiae eum accusem, quamvis acriter Spengelius contra pugnet, qui Demosthenem ea tantummodo, quae gravissima sunt, repetere putat. Accedunt autem alii loci, quibus idem factum esse videmus, veluti § 119. respondet § 107., § 116. spectat ad § 72. Nec vero ego tam subtilis sum; ut id quoque, quod et § 110. et § 70. eandem eiusdem sententiae formam usurpavit, cum diceret ‚*ἀπὸ τῆς πρώτης συλλαβῆς μέχρι τῆς τελευταίας*‘, Demostheni vitio vertam, quod Schaeferus et Benselerus fecerunt. Sed levioris momenti haec sunt, maioris illud, quod in hac parte multi duarum inter voces vocalium concursus inveniuntur, quod quantum ad Demosthenis orationes recte aestimandas valeat, primus Benselerus ostendit. Nam cum is Ciceronis[1]) et Quintiliani[2]) testimoniis firmatus evitare Demosthenem illum hiatum vitiosum per omnes orationes, quae ut genuinae huic oratori adscribendae sint, demonstraverit, nemo est qui hanc rem in illis paragraphis recte aestimandis neglegat, eoque magis Spengelium hoc ne verbo quidem tetigisse mirandum est. Neque tamen ego is sum, qui ea verba ob hiatum admissum a Demosthene abiudicem, quod Benselerus fecit, sed nondum perpolita atque in commentariis relicta esse ea verba cum Schaefero et Blassio colligo. Qua in sententia eo constantius permanebimus, quod ante pecunias aerario debitas ab Androtione eiusque sodalibus persolutas scripta esse ea verba cum aliunde tum ex § 29. patet (*οἶμαι . . . τὴν ὕβριν . . . Ἀνδροτίωνι . . . ὑπὸ τῆς θεοῦ ἐπιπεμφθεῖσαν, ἵν᾽ . . . οὗτοι . . . τὰ χρήματα καταθεῖεν δεκαπλάσια κατὰ τοὺς νόμους ἢ δεθεῖεν*). Cui loco non repugnant verba § 111., quae sunt: *θαυμάζω . . . τοῦτον . . . ἐπειδὴ . . . Ἀνδροτίωνα ἔδει ἃ πάλαι ὑφήρητο*

1) Cic. orat. 44, 151.
2) Quint. 9, 4, 35.

τῆς πόλεως χρήματα καταθεῖναι, τὰ μὲν ἱερά, τὰ δὲ ὅσια, τότε θεῖναι τὸν νόμον ἐπ' ἀποστερήσει τῶν μὲν ὁσίων τῆς διπλασίας, τῶν ἱερῶν δὲ τῆς δεκαπλασίας, neque ea, quae § 112. leguntur, quae sunt: *εἰ δέ τινες — εὗρεν,* neque quae § 116. proferuntur: *ἀλλ' οὐ Τιμοκράτης, ἀλλ' ὅπως ἁπλᾶ μέν, ἃ δεῖ διπλάσια καταθήσουσι παρεσκεύασε,* neque quae § 119. dicuntur: *οὐ γὰρ δὴ ἐρεῖ — κεκλοφότες.*

Iam quae § 121. et § 122. de portitoribus, quos Timocrates a beneficiis legis suae nullo iure excluserit, verba orator facit, et quae § 123. et 124. de populi erga pauperes magnanimitate profert, tenorem orationis interrumpere videntur, cum, quae §§ 125.—138. de Androtionis eiusque sodalium moribus scelestis et de poenis, quibus tempore pristino longe meliores homines affecti sint, narrat, multo artius cum § 120. coniungi possint. Quarum particularum priore augentur et exaggerantur (ac non mere repetuntur) ea, quae supra §§ 59. et 60. orator exposuit. Sed tam haec quam posterior particula hiatibus vitiosis laborat, neque vero quidquam utraque indicii praebet, utrum ante solutas pecunias illas, de quibus saepius diximus, an post scripta ea verba sint.

Quae inde a § 125. de Androtionis et sodalium moribus, propter quos et ipsos vinculis non indigni sint, orator verba facit, recte Schaeferus in eam sententiam accipit, ut iis prorsus nullum locum in hac oratione futurum esse, si pecunias illi aerario debitas iam persolvissent, existimet. Itaque prioris orationis commentariis ea vindicare non dubitabimus, idque eo magis, quod eius rei certissimum indicium exstat hic locus: *ἀλλὰ Μελάνωπος δεινὸν νὴ Δί' ἐστὶν εἰ δεθήσθαι ν ῦ ν ἔμελλεν;* Neque igitur mirum est hiatus multos in his paragraphis inveniri.

Neque aliter de iis, quae inde a § 131. usque ad § 138. legimus, iudicandum est, cum cum antecedenti parte coniuncta esse videantur his verbis: *Μὴ τοίνυν αὐτοὶ διδάσκετε* [*ἀδικεῖν*][1]),

---

1) Sic oratorem dixisse suspicamur. Quod quam vere conicimus, intelleges ex eiusdem orationis § extrema, ubi haec leguntur: *ὡς τὸ*

ἀλλὰ τιμωρεῖσθε, cumque hiatus multos vitiosos habeant et ex verbis, quae sunt (init.): *εἰ δεθήσονται ἔχοντες τὰ ὑμέτερα,* ante pecunias aerario debitas ab Androtione solutas scripta esse existimanda sint.

Inde a § 139. usque ad § 143. orator, quomodo Locri novas rogationes impedire studeant, pluribus verbis narrat. De quibus verbis difficile est iudicare, cum propter neglegentiam dictionis orationi posteriori attribui non possint, neque, quo consilio commotus orator ea abesse ab oratione posteriore constituerit, nobis fingere possimus, quia nullum indicium nondum solutarum ab Androtione pecuniarum continent.

Sed longe etiam difficilius iudicium de iis est, quae deinde (§ 144.—154.) ad grave Timocratis commentum diluendum proferuntur, adeo, ut inde profectus Spengelius totam orationem Timocrateam, qua condicione traditam habemus, unam esse et simplici eodemque cursu fluere demonstrare conatus sit. Sed, ut iudicandi viam nobis muniamus, breviter, quae illis paragraphis orator pluribus exposuerit, complectar his verbis: At dicet Timocrates, inquit ille, se, cum lege sua cives vinculis liberare voluerit, legis alius, in qua insint verba haec: *οὐδὲ δήσω Ἀθηναίων οὐδένα,* exemplum secutum esse. Quam excusationem Demosthenes sic refutat, ut in senatorum, non in iudicum iure iurando esse illa verba respondeat. Iam nemo est quin intellegat illam Timocratis rationem esse ita comparatam, ut Demosthenes eam, si praescivit vel providit, ne in posteriore quidem oratione neglegere debuerit. Sed ne id quidem, num providerit, pro certo affirmari licet. Neque enim facile Demostheni in mentem venire potuit, Timocratem tale quid prolaturum esse. Quae cum ita sint, cumque ea verba neglegentis dictionis vestigia prae se ferant, post causam peractam eius orationis, qua Timocrates apud iudices se defenderet, ratione habita a

---

πράως ἔχειν τοῖς τοιούτοις, καὶ καταψηφίζεσθαι μέν, ὀλίγου δὲ τιμᾶν, ἐθίζειν καὶ προδιδάσκειν ἔστ᾽ ἀδικεῖν ὑμᾶς ὡς πλείστους. Quam vero facile scribae oculi ab *ΑΔΙΚΕΝ* ad *ΑΛΛΑ* aberrare potuerint, nemo est quin videat.

Demosthene addita esse suspicor. Quod si recte colligitur, sequitur, ut Demosthenes edere hanc orationem in animo habuerit, a quo consilio nescio quo pacto destiterit.

Sequitur, ut ad illam partem, quae § 155.—186. continetur, quaeque uno tenore fluit, nos convertamus. Quae tota propterea quoque unum quiddam esse videtur, quod diligenter hiatus ille vitiosus evitatus est. Neque tamen fieri potuit, quin haec pars vehementius etiam a viris doctis temptaretur, quam antecedentes particulae. Cuius rei causae fuerunt duae, una, quod maxima pars eorum verborum (§ 162.—186.) paucis mutatis nonnullisque omissis etiam in Androtionea legitur, ubi, id quod prima huius dissertationis parte effectum est, abesse non possunt; altera, quod verba § 187. quae sunt: *καὶ περὶ μὲν τούτου κατὰ σχολήν· ἃ δὲ Τιμοκράτει συνερεῖ πολλὰ λέγειν ἔτι πρὸς τούτοις ἔχων παύσομαι*, postea, ut sequentia cum antecedentibus aliquo modo coniungerentur, addita sunt. Neque enim in antecedentibus verbis quidquam, quod Androtion ad Timocratem defendendum dicturus esset, oratorem significasse legimus, neque neglegentia dictionis, qua, postquam in prioribus transitionis enuntiatis Androtion subiectum fuit, repente in enuntiato quod est *ἀκούω δ' αὐτόν*, oratio ad Timocratem transit, probanda nobis videtur. Cum autem hanc difficultatem, quam altero loco posui, tollere nullo modo possimus (neque potuit Spengelius scribens pro ‚ἃ δὲ' ‚εἰ δή'), illam priorem non ita gravem esse existimo. Sane, semel sua scrinia, ut Horatiano verbo utar, compilavit Demosthenes, quidni? Neque vero ad verbum Androtioneae locum in Timocrateam transcripsit, sed ita, ut non pauca, quibus Timocratem Androtioni sodalem adiungeret, perapte adderet. Nequeo igitur Nitschio assentiri, qui omnia verba inde a § 157. med. (*οὐ γὰρ ἁπλῶς* (aut *οὐχ οὗτοι μόνον*)) usque ad § 187. init. (*οἶδα δ' ὅτι*) tamquam interpolata eicit; neque enim in illis verbis, quae sunt: *οὐ γὰρ ἁπλῶς οὐδ' ὅπως ἔτυχον, ποιοῦσι κακῶς ὑμᾶς, ἀλλ' ἐσκεμμένως καὶ τοῦτ' αὐτὸ πράττοντες, οὐχ οὗτοι μόνον, ἀλλὰ πολλοὶ τῶν πολιτευομένων, οἳ τούτῳ παριόντες αὐτίκα δὴ μάλα συναπολογήσονται,*

quidquam displicet, dummodo pro *οὗτοι* scribatur *οὗτος*, neque, quod caput est, quis tandem verba ex Androtionea sumpta illis additamentis iisque aptissimis neque ullum hiatum vitiorum praebentibus augere potuerit, vir ille ostendit.

Quoniam abiudicari non posse illam partem a Demosthene demonstravi, restat ut quaeram, utrum priori in commentariis relictae orationi an posteriori in causa habitae tribuenda sit. Quae res non facilis ad diiudicandum est, propterea, quod nullum locum, quo de solutis vel non solutis pecuniis illis, de quibus saepius diximus, quidquam indicetur, illa verba continent. Atque priori quidem orationi illa verba tribuerunt Schaeferus et Blassius, non solum propter illum transitum (§ 187.) suspectum, de quo supra disputavi, sed etiam aliam ob causam, quae apud utrumque diversa est. Schaeferus enim, postquam Androtion pecunias aerario debitas solvisset, nullum iam locum invehendi in eum fuisse putat, quod verum esse Blassius et quidem optimo iure negat, quia Diodorus Androtionem ipsum unum omnium maxime petiit. Blassius autem rectius ea ratione nititur, quod § 197. ea, quae iam § 162. explanavit, repetit, idque quasi nondum omnino eam rem tetigerit. Quam ob rem Blassius totam illam partem inde a § 160. (*ὅτι τοίνυν*) — § 187 una cum antecedentibus commentariolis priori orationi in causa non habitae attribuit, verba autem § 187. *οἶδα δ' ὅτι ὡς μὲν οὐκ ἀσύμφορος* seqq. non ipsi conclusioni argumentationis (§ 109.), sed verbo § 110., quod est *λυσιτελήσειν*, adnectit, quod aliter facere non potest, nisi inserto enuntiato, cuius sententiam his verbis reddit: Ich wundere mich, was er zur Verteidigung sagen wird. Qui quam falsis vel nihil valentibus ex rationibus ad illud probandum profectus sit, quoniam supra diximus, nunc, dummodo argumentationis fini verba, quae sunt *ὡς μὲν (οὖν) οὐκ ἀσύμφορος* seqq., adnectantur, carere nos posse illo a Blassio inserto enuntiato indicare satis habemus.

Itaque cum Schaefero verba, quae sunt *ὡς μὲν (οὖν) οὐκ ἀσύμφορος* seqq. argumentationis conclusioni adiungimus, neque quisquam erit, quin, quam bene verba sese excipiant,

intellegat. Neque tamen ego una cum schedis a § 110.—154. etiam quae inde a § 155.—186. sequuntur, orationi in causa non habitae attribuenda putaverim, quod Schaeferus et Blassius fecerunt. Quorum illius rationem cum supra exploserimus, nunc Blassius refutandus est, qui propter 197., qua sententiae §§ 162. seqq. ex Androtionea haustarum repetantur, priori orationi ea verba attribuit. Illud autem Blassio concedo, non apte verba § 197. ad § 162. revocari. Sed quid? si, postquam § 197. exactionem illam pecuniarum tetigerit, postea eam rem explicatius et uberius exposuisse oratorem suspicamur? Qua ratione eo deducimur, ut totam illam partem a § 155.—186. extremae orationis parti vindicemus. Nam, quod iam supra indicavi, tota illa pars perpolita est (non ea solum verba, quae ex Androtionea sumpta sunt) neque ullum hiatum vitiosum praebet, nec nobis fingere possumus, qua ratione Demosthenes inductus sit, ut, cum cetera prioris orationis membra eaque antecedentia impolita relinqueret, sequentem partem, quamquam neglegendam censuisset, tamen perpoliret. Quam difficultatem nec Schaeferus nec Blassius sustulit. Quam ob rem totam partem, de qua nunc disputatur, posteriori orationi in causa habitae vindico, cumque eo loco, quo tradita est, ferri nequeat, alio reponatur necesse est. Ac mihi quidem extremam orationem perlegenti aptior nullus locus, qui illam partem excipiat, videtur quam § 215. verba, quae sunt *χρὴ μὲν οὖν πᾶσιν ὀργίλως ἔχειν* seqq.

De extrema huius orationis parte, cum nec viris doctis nec mihi offensionem praebuerit, nihil habeo, quod dicam. Nam posteriori orationi in causa habitae vindicandam eam esse inter omnes constat.

Restat, ut, quae utrique recensioni, ut ita dicam, huius orationis membra vindicanda sint, breviter complectar. Atque prioris quidem Timocrateae commentariis membra attribuo haec: § 1.—5., §. 6.—9. (*τοῦτόν τε παθεῖν ὢν ἄξιός ἐστιν*) § 10. (*ἐξ ἀρχῆς οὖν ἐν βραχέσι*) — § 13. (*ὀφείλειν τῇ πόλει*), § 9. (*τοῦ δὲ πράγματος*) — § 10. (*δυναίμεθα*), quae hoc ordine servato prooemium confecerunt. Deinde

partitio argumentationis genuina interiisse videtur. Sequuntur § 19. (*πρῶτον μὲν οὖν, ὅπερ ἠδίκησε πρῶτον* — § 109., quibus argumentatio continetur, § 110.—143., quae confutationis loco fuerunt. Ex his membris in orationem in causa habitam orator transtulit haec: § 1.—5., § 6.—9. (*λαβεῖν*), § 10. (*ἐξ ἀρχῆς οὖν*) — § 13. (*ὀφείλειν τῇ πόλει*), addidit autem § 14. (*γράφονται τὸ ψήφισμα*) — § 16. *δεινοτάτου*. Hoc prooemium secuta est partitio argumentationis, quae interiit, deinde argumentatio § 19.—109., tum autem in confutationis illius locum aliam substituit, quae ex his membris constat: § 187. (*ὡς μὲν (οὖν) οὐκ ἀσύμφορος*) — § 214., § 155.—186., § 215. — exit.

Argumentatio autem, ut, quod intermisi, id nunc repetam, propterea non solum posteriori, sed etiam priori orationi vindicanda est, quod § 114, quam prioris orationis esse vidimus, ad argumentationis verba, quae § 107. leguntur, revocatur.

Vita.

Natus sum Hermannus A. F. Vieze Berolini Kal. Nov. a. h. s. LIV patre Ferdinando, matre Carolina e gente Dennewitz, quorum neutrum superstitem esse lugeo, cum haec mihi septimum aetatis annum agenti erepta sit, ille autem quindecim annos mihi nato vita decesserit. Fidei addictus sum euangelicae. Iam mox nonum annum iniens ad elementa discenda in patriae ludum literarium, cui nomen ‚Dr. Johnsche Mittelschule' erat, deductus sum. Patre mortuo tutoris opera eiusque, cui hae studiorum meorum primitiae dedicantur, viri liberalitate benignissima alumnis gymnasii illius clarissimi, quod ab oppidulo Joachimsthal nomen traxit, adscriptus sum, ubi inde a classe tertia inferiore per V annos et dimidium praestantissimorum praeceptorum disciplina usus sum, quos cum omnes tum Carolum Schaperum rectorem grata pia que memoria semper colam. Maturitatis testimonio instructus nomine apud philosophorum in universitate literaria Berolinensi ordinem dato inter cives academicos receptus sum atque per IV annos scholas audivi virorum clarissimorum Droyseni, Huebneri, A. Kirchhoffi, Kieperti, Mommseni, Nitzschi, de Treitschki, Vahleni, de Wilamowitzi-Moellendorfi, Zelleri. Regii seminarii philologi, quod a Kirchhoffio et Vahleno regitur, sodalis fui ordinarius per quinquies senos menses; ad exercitationes eas, quae ad Suetonium et Lucianum spectabant, Huebnerus, ad eas, quae ad Aristophanem pertinebant, et ad epigraphicas, Kirchhoffius aditum mihi praebuit. His viris omnibus gratias ago quam maximas.

Sentententiae controversae.

I.

Tac. dial. § 7. exit: post ‚concupiscunt‘ interrogationis signum pono.

II.

Tac. dial. § 8. post ‚non minus esse‘ insero ‚in ore‘.

III.

Tac. dial. § 19. traditam lectionem servo.

IV.

Soph. Ai. 152: ‚τοῦ λέξαντος‘ magno cum detrimento deleri iudico.

V.

Soph. El. 924. scribo ‚τἀκ κείνου‘.